

POLZEIN
No.
45



Bar 1745

- 1) da Spina,
- 2) L. S. A. R. Tarcomany
- 3) Filzaciis,
- 4) da Verona

TRACTATVS
DE PROVI-
DENTIA DEI AD
FIDELIVM CON-
scientias asperis tem-
poribus confirman-
das & tranquil-
landas.

AD HENRICVM IIII.
Galliarum & Navarra Regem.

Auctore IOHANNE DE SPINA.



Apud Ioannem le Preux.

clo. lo. xci.

Jean de L'Espine
[Traité de la providence
de Dieu, lat.]



[Gent]



REGI CHRISTIANISSIMO.

NEMO tam est rerum imperitus,
Rex Christianissime, qui nesciat
quot quantæq; ab hinc annis tri-
ginta, tempestates & calamitates
in regno tuo exorta sint. Quibus
in primis Ecclesia vehementer est afflictæ &
conquassata, quum Deus eam serio in illo tuo
regno plantare & excutere velle visus est. Vix
enim nasci cœperat, quum Satanas, ut illius in-
crementum impediret, suos Satellites excitavit
qui adhuc in cunis iacentem suffocarent. Sic o-
lim Herodem ad Christam, Ecclesiæ caput, quum
ab ubere matris adhuc penderet, horrenda cæ-
de tollendum impulerat. Adcò ut parentes eius
quò furori sævi & immanis illius Tyrani eum eri-
perent, in Aegyptum fugere, & infantem asportare
coacti sint, ut ibi latitantes tanti sperdum Tyran-
nus è medio isto Dei iudicio tolleretur saluti
sue & infantis cōsulerent. Porro, Rex Christia-
nissime, M. T. iā inde ab infantia sua in has ca-

EPISTOLA.

lamitates incidit, & ipsa magna pars earū fuit. Diuinum est autem & admirādum opus, quòd in tanta rerum Gallicarum perturbatione, & in medijs tantarum procellarum fluctibus, quibus tota Europa perierrefacta & concussa est, Tua tamē Maiestas inde à teneris unguiculis impauida & imperterrita perstiterit. Sed eā Omnipotentis Numinis dextra sustentauit, adeò ut non minor fuerit Tuae Maieſtatis in hostium suorum impetu & incurſibus repellēdis virtus, quàm fuit eorum furor ac rabies in inuadendo. Equidē ex fide illa, in qua tam cōstanter hactenus permāſiſti, maximū electionis tuae argumētum capio. Ecquis enim ignorat quàm magna & stupēda fuerint hostium tuorum sollicitationes, quibus Tua Maieſtas dextrā lauaq̃ tentata est, dextrā quidem si conditiones & pollicitationes quibus eam à vera illa & sincera Religione quam ab ipsa infantia imbibit deducere conabantur: laua verò, si comminationes & cruenta bella quibus in tuam Maieſtatem impetum fecerunt, & adhuc hodie faciunt inspicias? Fixa tamen & immota, per Dei gratiam stetit, velut domus illa super petram fundata immobilis, quae licet magna vi ventorū impetita, fluctibus & tempeſtatibus agitata, non tamen corruit. Nemo dubitat, Rex, quin S. Spiritus, Spiritus, inquam,

EPISTOLA.

inquam, ille adoptionis, per quem Deum clamas Patrem, & qui in corde tuo gratiam eius & promissiones obsignavit: & Verbum eius quod T. M. fideliter ipsi annuntiatum, attentis etiam auribus hausit, & frequentes illa preces quibus Deum, tum remotis arbitris priuatim, tum in publicis catibus sollicitasti, media sint & instrumenta quibus Deus in te confirmando & corroborando usus est: pro quibus ingentibus in te collatis beneficijs gratias agere non desinimus, supplicibus votis Deum orantes ut Spiritum illum suum unicum & precipuum T. M. largiri & adaugere persueret, & illam in eo in omne ævum cõfirmet, ut maiora in diestum fidei tum virtutis incrementa, studio diligenti, labore & industria capiens, ad eum quẽ illi omnes ex animo gradum exoptamus perfectionis & felicitatis perueniat: ut in T. M. Principes, tanquam in speculo ac tabula, Dei gratias ingentes contemplati, virtutũ omnium exemplar ad imitandum propositum habeant. Audaciorem verò me fecit Rex, in offerendo tibi hoc de Dei Providentia Tractatu, partim natale solum, in quo quum T. M. subditus & servus natus sim, hoc scripto testatum illi volui quàm prompta & parata mea voluntas in eius sit obsequium: partim temporum istorum status

EPISTOLA.

*infelicissimus, qui omnino postulare videtur ut
singuli fideles maturè necessarijs armis prae-
niti se viriliter aduersus Satana, Antichristi,
& Satellitum ipsorū insidias & impetum tueā-
tur. Armaturam vero inter omnes praecipuam
hoc praesertim seculo hanc esse credo, si Anchora
Diuina prouidentia sic fulciamur, ut ad eā om-
nia consilia referamus, ab ea toti pendeamus,
talemq; rerum omnium nostrarum exitum se-
curi expectemus, qui ad eius gloriā, maiorem
Ecclesiae instaurationem, & nostram omnium
qui in ipsa speramus, & illi nos nostraq; omnia
committimus salutem & utilitatem pertineat.
Sed illa meliùs & plenius ex Tractatu ipso co-
gnosces quem T. M. Rex Serenissime, quàm hu-
millimè offero. Deum suppliciter oro, ut T. M.
omni bonorum, dignitatumq; genere quàm cu-
mulatissimè augeat.*

Regiae Tuae Maiestati obsequentissi-
mus subditus & seruus.

IOHANNES DE SPINA.

ARGV-



ARGVMENTVM

huius Tractatus.



TSI ex titulo mēs auctoris satis dignoscitur, & quis sit fructus ex hoc scripto colligendus accurata illius lectio demonstrat: nihilo minus tamen vt aliquem eius gustum Lectoribus iniicerem, paucis illius argumentum & summa capita hic perstringere visum est. Auctor hoc posito fundamento, doctrinam de Prouidentia diuina fideles in aduersis & prosperis in officio retinere, conscientias eorum tranquillare, & infinitis tentationibus occurrere quæ ex variis huius terrenæ vitæ vicissitudinibus oriuntur, cuius rei testes sunt locupletissimi Dauid, Iobus, Ieremias & D. Paulus, descendit ad Prouidentia definitionē, quam probat esse *πρόγνωση* admirandam & consilium æternum, liberrimū, immutabile, iustissimum, sapientissimum & optimum, quo Deus facit & decernit quæcunque bona sunt, mala etiam fieri permittit, omniæque & bona & mala ad suam gloriam & electorum salutem dirigit. Vbi per partes quæ sit ista Dei *πρόγνωση* & decretum, & quis eorum omnium finis explicuit, penitus istam Prouidentiam scrutatur, quæ in vniuersum mundum in genere, & speciatim in singulas res creatas se extendit: peculiariter autem in genus humanum, sed maximè in Ecclesiam.

¶ iiiij.

Hanc distinctionem sequutus, in prima suæ narrationis parte catalogū instituit eorum testium quos huius orbis machina multos ac varios complectitur, & singulos ex ordine nobis repræsentat, prout eorum Sacræ Scripturæ meminerunt. Nihil enim minus cogitavit author quàm omnes à Deo res creatas in medium adducere, & de singulis dicere, quod immenso voluminum opus foret. Mundum igitur in genere considerat, magnum nimirum theatrum sapientiæ, potentiæ & bonitatis Creatoris, inimitabile docet esse opificium, ex nihilo factum, firmissimum, amplissimum, æqualiter distinctum, & ab opifice irreprehensa gubernatum sapientia. Huic testi tam clarum & perspicuum testimonium cum maxima utilitate cōiunctum perhibēti, Angelos addit, variis nominibus insignes, ex quibus quis quantūsq; sit eorum Dominus dignoscitur. Inde ad Cælum transit, cuius expansionis vastitatem commendat, rapiditatem, insignem ornatum, & varias plurimāsque utilitates quas ex eo mortales percipiunt: Solis deinde naturam luminosam, calidam, celerem: tum Lunæ, Stellarum, Elementorum quatuor, putà Ignis, Aëris, Aquæ & Terræ proprietates persequitur. Inde à simplicibus ad composita ex illis elemētis corpora descendit, & initium facit ab homine, qui ad imaginem Dei creatus est, & corpore & anima constat: deinde reliqua etiam animalia persequitur quæ homini subiecta sunt & in eius vsum creata, in quorum omnium creatione singularis Creatoris sapientia & providentia,

tia, non minùs quàm in eorum statu, vita & peculiaribus motibus resplendet. Peculiariter verò loquitur de Boue, Asino, Cane, Ouibus, Equo, Gallina, Gallo gallinaceo, Hirundine, Passerculis, Columba, Coruis, Apibus, Musca, Formica, Araneo, Porco, Ceruo, Apro, Lupis, Vulpe, Leone & Vrfo. Quibus animantibus & volucris adduntur pisces: deinde plantæ in quibus præcipuè considerantur Oliua, Myrrha, Rosa, Lilium, Vitis, Vineæ, Rubus, Spina, Arbores. Tum res inanimatæ, vt Aqua, Panis, Vinû, Rupes, Aurum, Argentum. Porro ex istis rebus omnibus creatis variæ trahuntur insignes similitudines & doctrinæ, quibus ad huius tractatus scopum, qui est de Dei prouidentia, quæ in his rebus creatis insculpta est, tanquam manu deducimur, vt magis ac magis agnoscere & meritis laudibus extollere discamus eû qui tot creatas res ad nostrum commodum & vtilitatem fouet, & tot documentorum exempla nobis illas proponit.

In altera narrationis parte, de Dei erga suam Ecclesiam prouidentia differit: in cuius Ecclesiæ cõseruatione maximè illustris Domini gloria conspicitur, & summa felicitas fidelium, quorum Deus Pater fundator est, Filius eius Seruator & Defensor, Spiritus S. Gubernator: Leges sunt autem ipsis Dei Mandata: Consilia, Verbum eius: Iehoua denique tutelariorum Deus, hereditas, penus & alimonia. Deinceps incipit auctor de Dei erga suam Ecclesiam amore singulari differere, cuius fundamentum, excellentiam,

magnitudinem & cōstantiam aperit. Tum ho-
stes Ecclesiæ ex aduerso considerat, Satanam,
mundum, hypocritas & idololatrās, quorum o-
mnium aduersus Dei Ecclesiam irritos esse co-
natus pluribus argumentis asserit: quòd nimi-
rum Deus peculiarem Ecclesiæ suæ curam ge-
rat: & hoc tum multis locis ex Prophetis & A-
postolis: tum etiam argumētis à natura Dei de-
sumptis, probat, & speciatim ab eius sapiētia &
beneuolentia, cuius testes Adamus, Noachus,
Moses, Israel, Ecclesia denique Christiana pro-
ducuntur. Sed adhuc specialiùs curam & solici-
tudinem quam de suis Deus habet in Iacobo,
Iosepho, Dauide, Elia, Elisæo, & Sapientibus il-
lis Orientis describit. Hanc Dei solitudinem
magis adhuc esse conspicuam docet in Ecclesiæ
defensione & protectione, quæ iam inde ab ini-
tio maximis & extremis erepta periculis ad hūc
vsque diem permanet, nouis cōfirmata viribus
quum hostes sese iam iam de illa triumphatu-
ros sperarent: in media morte viuificata sui ca-
pitis virtute, & aduersus hostium suorum furio-
sos impetus protecta & defensa, tandēque ad
portum, frustra reluctantibus inimicis & tem-
pestatibus, appulsa. Et quoniam longè maiora
& periculosiora supersunt adhuc illi discrimina,
eadem serie docetur Deum suos electos aduer-
sus Satanæ furorem, suarum passionum & affe-
ctionum violētiam, aduersus indignationis di-
uinæ sensum protegere: tandēque illos spe-
ciali prouidentia Dei liberari à suis afflictioni-
bus, & nullam aliam esse ex periculis euadendi
ratio-

rationem, testibus Noacho, Abrahamo, Iosua, Dauide, & nostri temporis fidelibus ostendit. Porro singulares istæ liberationes, ingens illud nostræ redemptionis mysterium in memoriam nobis reuocant, simulque admirandam & modis omnibus suspiciendam Ecclesiæ gubernationem, quæ licet debilis & infirma, mundo tamen collabente manet immota, in hostiū suorum medio, vocem Dei sui Ducem sequuta, & Pastorum, qui licet ab hominibus parui fiant, res tamē admirandas & fidem omnem superantes perficiūt. Armatura porro Ecclesię prorsus est admiranda & impenetrabilis, ideoque etiam illa semper inuicta & victrix permanet. En verò paucis quæ sit Ecclesiæ panoplia: Deus ipse, fides, preces, vitæ conuersio, quibus adde comites, spem, fiduciam, charitatem, obedientiam: & admirandam omnipotentis tuitionem & protectionē, ex qua nascitur pax & gaudium certissimū, quo, vel in mediis afflictionibus, & ipsa morte, Filij Dei perfruuntur.

Tertia pars nonnullis obiectionibus & detractionibus aduersus Dei prouidentiam occurrit, istis nimirum, si qua est prouidentia, quī fiat vt tot tempestatibus & malorum diluviis orbis terrarum affligatur? cur virtute iacente, vitium habeatur in pretio? cur in rebus humanis tot tantæque sint perturbationes? cur Deus tot confusiones ferat? ecquid noceat si res omnes fortuito casu ferri crediderimus? quī fiat quòd tandiu scelerati rerum potiantur? Ad quas omnes istiusmodi Libertinorum obtrectatio-

nes auctor sigillatim respondet, & qui sint isti
ad viuum depingit, stultamque eorum arrogan-
tiam & detestandum ingrati animi vitium de-
tegit: Deumque docet nihil nisi iuste facere: e-
ius seueritatem clementia semper temperari:
peccatis nostris longè grauiores deberi pœnas
quàm in hoc mundo perpetiamur: Deum in o-
mnibus suis operibus à nobis esse glorificandū:
calamitatibus nos ad nostri cognitionem dedu-
ci, vt Deo magis ac magis subiiciamur: castiga-
tionibus, nostras affectiones mortificari: nōsque
ad melioris vitæ contemplationem erigi: affli-
ctionibus erudiri ad debitam Deo gloriā red-
dendam: easdem nos ab extrema perditione re-
trahere, Deique timorem docere: nostrum non
esse de Dei sapientia detrahere: istiusmodi ob-
iectiones à iudicio corrupto profanorum & in-
fanorum hominū præmanare, quos Dei Spiri-
tus damnauit Psal. 94. vicissitudines & mutatio-
nes illas quæ in Dei operibus apparent, neces-
sarias esse ad mundi conseruationem: Deum ni-
hil esse minus quàm peccati authorem, sed pec-
catoribus ad suorum iudiciorum executionem
vti: in humanis actionibus opus diuinum ab hu-
mano distinguendum: in optimum finem con-
fusiones à Deo permitti: Dei respectu temerè
aut fortuitò nihil contingere: sceleratos ab illo
patiēter ad tempus tolerari, vt grauitate suppli-
cij suam tarditatem compenset. Quas omnes
responsiones auctor rationibus & argumentis
necessariis confirmat, & exemplis ac similitudi-
nibus illustrat, quibus aduersarij magis magisque
con-

co nuincantur.

In quarta deniq; & vltima parte, postquàm ostendit quàm sit Christianis necessaria doctrina de Dei Prouidentia, & variis illud similitudinibus illustrauit, quædam porismata deducit, quibus quanta ad nos ex illa doctrina perueniat vtilitas docet. Nimirum per illâ nos in Dei cognitione erudiri, fidem nostrâ augeri & confirmari: eandē patientia nos armare, fiducia & spe, gratitudinē erga Deū docere, & in eius timore continere. Istis addit modum bene vtendi Dei Prouidentia, vt videlicet ex animo Deum precemur, officium quisque in sua vocatione diligenter faciat: mediis ad id à Deo constitutis vtatur, spem in iis suam collocans non abutatur. Denique singulos in aliqua dignitate constitutos hortatur, vt in officio sedulò faciendo Deū imitentur.



DE PROVIDENTIA DEI
RERV OMNIUM
Gubernatrice.

ODI prophanos. Hinc procul impie
Gentes, Olympo que superum negant
Regnare Numen: quæq; cæcas
Cuncta putant agitare sortes.
Et fortuitis ductibus obsequi
Terras, & altos ætheris ardui
Tractus, & ignes, atque fluctus
Nauis fragos maris æstuosi.
Frustrà lauantur fluminibus sues,
Semper salebras semper amant lutum:
Ditæque gemmas, atque plena
Despiciunt alabastra nardo.
Nec fas proteruis res canibus sacras
Offerre. Cassis lumine quid iuuat
Monstrare Soles: atque surdo
Mellistuum recitare carmen?
Vos pura testor pectora: Vos, quibus
Cælestis almas Lux Sapientie
Mentes serenat. Quos benignus
Seruat amor Superum parentis.
Fauete linguæ. Discite cœu polo
Mens cuncta cernit prouida Cælitum.
Et sola cœu totum potente
Arbitrio moderatur orbem.
Hoc æthra fulgens monstrat, & aureus
Titan, decorum seu reuehens diem
Caliginosas pellit umbras,
Et vegeto recreat virentes
Calore campos: tempora seu citis
Annosque signat cursibus impiger:
Candentis aut Luna propinquans
Noctiuagum minuit nitorem.
Non astra casus instabiles rotant,
Brutaq; sortis turbidus impetus:
Ast illa ingi Lege fixus

Ordo

Ordo rapit, seriésque certa.
 Et dextra summi Numinis aërem,
 Motusque cunctos temperat: hinc vice
 Venti stupenda per liquentes
 Horrisoni variantur auras.
 Nec casus imbrem format, & uberes
 Fæcundat agros. Non tonat Impotens
 Fortuna: nec fulgur, grandinésque:
 Aut rutila iaculatur arce
 Quos horret ignes impietas ferox,
 Parcúsque Diuin cultor, & infrequens:
 Quum paller incertus, nigrísque
 Sub specubus latitare querit,
 Audire tristes non patiens sonos
 Cæli ruentis, fulminis & feri
 Diros fragores, siue turres,
 Siue quatit crepitante flamma
 Sublimiorum culmina montium.
 Vt quum Sodomæ subruit impias
 Cæleste gentes sulphur, atque
 Turpe simul scelus expiauit.
 Et, quæ feraci cuncta fouet sinu,
 Tellus potentes pendula suspicit
 Nutus parentis, qui suprema
 Perpetuus sedet arce Rector.
 Non replet illam Fors animantium
 Tot vana formis, aut species parvis
 Tot manca diuisas, suisque
 Cuncta cibis animata nutrit.
 Quæ rura messes letificas ferunt,
 Et picta vernis prata coloribus,
 Hortique diuersis comantes
 Arboribus, viridésque sylvæ:
 Feruente pigrum quæ fugit otium
 Aestate, magnis atque laboribus
 Formica solers ore paruo
 Grana vehit tenuémque viclum:
 Quæ mella condunt dulcia cellulis,
 Minésque succos floribus auferunt

Apes odoratis, suisque
 Iussa Ducis faciles sequuntur.
 Hæc cuncta clamant verticibus poli
 Sedere celsis Cœlitum patrem:
 Terrasque cunctas atque Gentes
 Mente regi Superumque cura.
 Idemque clamant flumina, quæ rigant
 Distincta terras, regnaque diuidunt,
 Urbesque circumdant, & agros
 Flexuosa sinuosa cursu.
 Sic curua clamant litora quæ ferox
 Aequor coercet, quum timet horridis
 Ausum procellis, nauibusque
 Perniciem properare tendit.
 Ad astra raucos Oceanus ferat
 Fluctus, & orbi dilunium furens
 Minetur: obiectus repellet
 Limes aquas, rabidosque motus.
 Insana tandem desine gens Dei
 Nudare cura Numen, & improba
 Compesce vocis murmur: atque
 Aethereos venerare nitus.
 Humana si mens vile regit lutum,
 Ventura cernens, præteriti memor,
 Tantum gubernari quis orbem
 Imperijs Superum negarit?
 Hæc cura semper prouida Cœlitum
 Solatur ætatis temporibus bonos:
 Rebusque turbatis habere
 Intrepidum iubet usque pectus.
 Quicumque ductus summe Parens tuos
 Prudens veretur, fulminis haud paueat
 Iras rubentis: non cruenta
 Bella timet, trepidatque vultu
 Sæuo Tyranni territæ & minis:
 Non ille morbos, non metui: famis
 Tormenta dira, nec silentes
 Tartarei Phlegetontis oras.

IOANNES IACOMOTVS BAR.



TRACTATUS DE DEI prouidentia.

NIMI quietem & tranquillitatem summum esse hominis bonum, rerumque omnium expetendarum extremum, summo consensu ferè omnes quum profiteantur, omnibus ad illud cōsequendum viribus niti nos oportere certum est. Nam, vt magnum & rarum est istud beneficium, ita non sine magnis difficultatibus laboribúsque propter impedimenta varia subinde nascentia comparatur: sicut septem libris antehac editis de animi quiete & tranquillitate docuimus. His adde perturbationes & cupiditates vnà cum ipsis hominibus emergentes, quæ non nisi longo tempore, summo studio, labore & vigilantia sese patiuntur ab illorum eradicari natura, & quibus, quantum illi studio & conatu ad finem opratum promouent, tantundem ab illo retrahuntur. Inde fit vt rationibus & argumentis abundare nos oporteat quibus ad illud persequendum excitemur, quibúsque tum caro nostra tum cupiditates illæ perpetuò nos & conscientiarum nostrarum pacem tur-

A. j.

bantes frenentur ac tandem debellantur. Nam si ut nostris corporibus bene sit, nullis rebus parcimus, quibus nostrę valetudini benę consultum putamus, multo magis in hanc curam incumbere nos decet ut animorum nostrorum quieti tranquillitatique consulamus, diligenter & ad amussim præscriptas nobis bene viuendi regulas quas conuenientissimas esse iudicabimus, obseruantes, quod tantum hoc bonum, rerum omnium expetendarum pretiosissimum & summum, nulli parentes labori, consequamur. Quemadmodum enim qui firmo valentique sunt corpore, nec frigoris asperitatem, nec violentos calores metunt: sic quibus mentem bene compositam, quietam & tranquillam habere contigit, nullis vnquam motibus, nullis perturbationibus, nullis euentibus, mutationibus, miseriis, calamitatibus de suo statu deiciuntur, verum illi domui sunt

Mat. 7. 24

similes cuius Christus meminit, quę super petram fundata, decidentibus nimbis, fluminibus allidentibus, & ventis aduersus illam flantibus, inconcussa tamen aduersus omnes tempestates permanet.

Tanti boni fragrantiam, pretiumque Philosophi iam pridem eminus quum animaduernerent & subodorarentur, diu multumque, sed frustra tamen illud inuestigarunt: alibi nimirum quam vbi positum est quærentes. Ad hoc etiam maxima pars hominum aspirant, bene sibi esse capientes, statumque aliquem felicem exoptantes, in quo beatam vitam &

tran

tranquillam in perpetuum degant, sed spe tandem sua, non secus ac Philosophi, cadūt: quòd illud alij positum in diuitiis, alij in honoribus, alij in voluptatibus putent: quæ omnia quum sint varia, incerta, mutabilia, caduca, satietatem afferre tranquillitatēque non possunt. Vnde fit, vt licet iis omnibus abundant, queruli tamen pluribus semper & maioribus inhiant.

Prioribus autem illis septem suprā memoratis libris quasdam rationes quibus homines ad hoc bonum peruestigandum & inueniendum deducerentur, & quibus in rebus positum sit, attigimus: Verum in iis omnibus nullam esse viam magis compendiosam & magis tutam arbitror ad indagationem tantī boni, quàm sedulam & seriam de Dei Prouidentia meditationem, de qua (fauente mihi summi illius numinis S. Spiritu) tractatum hoc libro octauo meditor: quem superioribus addere visum est, vt eorum lectorem attentum tantò facilius ad scopum propositum deducam. Videtur enim mihi diuina Prouidentia, non paruum pondus apud nos ad quoscunque casus moderatè patienterque ferendos habitura, quum attentis illam animis perpenderit, & eam nobis ob oculos proposuerimus, vt ad eam quicquid vbique terrarum fieri vel audimus, vel videmus, semper referamus: hoc statuentes quòd quum Deus summa & singulari bonitate, iustitia, sapientia & æquitate regat & administret quicquid vbique terrarum geri-

A. ij.

tur, nihil nisi benè & ordinatè fiat: quando-
quidem horum omnium auctor, Deus sum-
mum bonum, nihil nisi benè & ordinatè facit.

In bello & maximis militum copiis animadu-
uertimus milites securos & alacres eius Impe-
ratoris signa sequi quem fortem, magnani-
mum, vigilantem, sapientem, prouidum, o-
mnes casus maturè præuidentè, & opportunè
prouidentem esse sibi persuaferint. Sic Herum
videmus in magna seruatorum liberorumque
familia, si quem prudentem œconomum ac
dispensatorem rei familiaris nactus sit, cui tum
res domestica tum heri gloria curæ sit, illi sua
negotia committere, ratumque habere quic-
quid administrarit, quòd eum nihil nisi pru-
dentia & ratione gerere cognoscat. Sic etiam
qui in mari nauigant, si forrè nauiculatorem
bonum, peritum & vigilantem nacti fuerint,
non ita formidant quàm si fortè vel imperitè
vel negligenter ad gubernaculum sedentem
nauclerum animaduerrerent. Denique, veluti
si per loca deserta vel inuia nobis peregrinan-
tibus dux viæ contigerit, de cuius peritia mi-
nimè dubitemus, longè securiores & alacrio-
res pergimus quàm si de eius vel fide vel peri-
tia dubitaremus: sic etiam quum sub Dei pro-
uidentia viuere nos agnoscimus, cuius perpe-
tuò ad omnes nostras necessitates, oculos aper-
ros, & ad preces & supplicationes aures atten-
tas & patulas, voluntatem denique ad gressus
nostros dirigendos promptam esse scimus, fie-
ri non potest quin in hanc Prophetæ conclu-
sionem

Psal. 3.

fionem erumpamus, securè nos dormituros & quieturos, tali Deo fretos cuius in nobis seruandis, deducendis, tuendis & aduersus quælibet pericula tutandis, rebus denique necessariis omnibus instruendis cura & vigilantia sit tot tantisque testimoniis comprobata. Dauidè intueamur, qui quum animaduerneret, impiis hominibus, perditis Dei & maiestatis ipsius cõtempторibus, in hoc seculo bene esse, & ex animi sententia plerunque omnia cedere, quodammodo perturbatus, ac penè indignabundus cum Deo contendere paratus fuit, sed hac vnica de Dei providentia meditatione repressus est, quum intra Dei sanctuarium progressus, illam sibi in memoriam reuocasset: & ori suo digitum imposuit, se non absimilem beluæ confessus, quòd sic in Deum, factis ipsius & cõsiliis obloquendo, insurrexisset. quare sic loquentem ipsum Psal. 73. audiamus,

Dauid.
Psal. 73.

*Sic ergo dubius hoc & illud cogitans,
Dum pependi, mente prorsus anxia,
Dei beato donec in sacratio,
Didici scelestos qualis exitus manet.
Planè ergo mente captum, & instar bestia
Negare nequeo me fuisse, ni Deus.
Tumens quando corde sic exæstians,
Vrebar intus impiorum commodis.*

Ieremias etiam cum eadem tentatione luctatus cum qua Dauidem audiuius colluctantem, & apud eundem Dominum conquerens ea de re, dicebat, Iustus es Ichoua, si contendere velim tecum: verum tamen iudicia eloquar

Ieremias 12.

A. iij.

tua: cur via improborum succedat? cur tranquillii sint quicumque agant perfidè? plantes eos, etiam radicentur? pergant, etiam edant fructum ij, quorum in ore propinquus es, sed longinquus à renibus ipsorum? Nempe tu Iehoua, agnoscis me, peruides me, idèo probas animum meum vt adhæreat tibi: auellendo istos vt oues ad maetationem, & præparando eos ad diem interfectionis. Quæ re magis se in hoc certamine sustentat, & mentem sedat, improborum felicitatem intuens, quàm diuinæ tum prouidentia tum iustitiæ seria meditatione?

Iobus 21. Quid Iobum commemorem, quem vehementer perturbatum, propter iam antè commemoratas causas, impiorum videlicet felicitatem & secundam, vt ita dicam, fortunam, sola diuinæ prouidentia recordatio in maximis ipsius ærumnis & cruciatibus ita subleuauit & erexit, vt quum altius in ipsius animo hæsisset, querulis lamentationibus suis modum & finem imposuerit, seque totum diuinæ voluntati permiserit, agnoscens à Deo nihil nisi iustè sapienterque geri?

Paulus.
2. Cor. 6.
11. & 12. Paulum verò Apostolum quo magis fundamento fratrum fuisse, & se consolatum in ministerij sui functione cum tot tantisque periculis & difficultatibus coniuncta dicemus, quàm fide sola, qua præsentem Deum & vias ipsius dirigentem amplexus est?

Quid verò Christus ipse Dominus noster, quum anima ipsius vndiquaque tristis esset ad mortem

mortem, & in agone illo penè mœrore confectus, veluti querulus patrem sic compellaret? Pater mi, si fieri potest, abeat à me poculum istud: veruntamen non vt ego volo, sed vt tu: annò in illa sua perturbatione Dei decretum, voluntatem & consilium est intuitus, vt sedato tandem animo pacatòque constitueret in illo solo sibi conquiescendum? Hic verò fuerit operapretium discrimen inter fideles & infideles animaduertere, quòd saepe infideles ad desperationem vsque perturbentur, quod Catoni, Bruto & Cassio, qui sibiipsis manus violentas intulerunt, contigisse videmus, quòd in sua Repub. per quorundam ambitionem vt Iulij Cæsaris & suorum excitatos tumultus, rerumque maximam confusionem æquò animo ferre non possent: fideles contrà, quicunque tandem casus incidant, quæcunque pericula exoriantur, semper constantes & imperterriti consistant, hac vnica ratione, quòd Dei fauore & prouidentia nitantur. Quod age Dauidis ipsius exemplo confirmemus.

Vt scelesti dentibus

Psal. 27.

Penè me ipsis impetant,

Vt feroces irruant

Qui volunt me perditum,

Irrito mox impetu

Disipati corruent.

Hinc & inde me premant

Vt phalanges hostium,

Corde stabo interrito.

Hinc & inde bellicus

A. iiij.

*Horror ut circumsonet,
Nitatur huius Numine.*

Et Psal. 46.

*Nobis Deus refugium, & expertum omnibus
Tutamen in periculis.
Ut ergo ab imis terra titubet sedibus,
Mundi que moles concidat,
Ipsūque montes in mare euulseruant,
Secuta turba stabimus.*

Et Psal. 142.

*Nanque ut prorsus inops consilij hæreat
Mens secum ista tumultuans,
Tu nosti via sit que mihi peruia,
Quamuis retribus obsita.*

Hæc verò pauca exempla monendis lectoribus sufficiant, ut in sacrosanctorum Bibliorum lectione, infinita istis similia diligenter obseruent, ex quibus istud filiorū Dei propriū esse discant, ut in mediis ærumnis & periculis ad Dei prouidentiam assurgant, in qua vna conquiescant, & animorum tranquillitatem quærant: quam etiam assequuntur, hoc animis penitus insigentes, nihil nisi Deo volente & decernente sibi contingere: laborūque suorum & ærumnarum felicem fore semper exitum, quod firmo Dei promisso nitantur, omnia ab ipso in bonum & salutem suorum geri & administrari.

Nec sum nescius plerosque prophanos, Libertinos, Epicureos, Atheos, hanc quam commendamus Dei prouidentiam negare & contemnere, & plerosque alios, quorum animus
inani

inani rerum humanarum specie & fulgore deceptus, sic caducis rebus infixus hæret, vt nullis rationibus ad diuinæ prouidentiae contemplationem erigi possit: vnde fit vt sola sua ratione & prudentia contenti res suas regant: quas si fortè perturbari contigerit, easdem sui ingenij acumine & industria facillè explicare se posse confidant. Sed illos etiam sua fallit opinio: tandemque ita suis consiliis intricantur vt iis se extricare nequeant, sed malum consilium esse consultori pessimum experti, sub onere fatiscant.

Verùm istiusmodi farinæ hominibus tractatum hunc minimè scribo, sed Dei filiis, quos spero non paruum vtilitatem ex eo percepturos, sedulo rationes pësistantes, & exempla quæ nobis in scripturis proponuntur, intuentes: quibus in Deum recumbere, & in eius veluti sinum nos nostraque omnia deuoluere, ab eius vnica prouidentia in omnibus nostris actionibus & consiliis pendere, & tandem ab eius manu, quicquid ipsi visum fuerit, expectare docemur, parati, siue aduersa immittat, siue prospera largiatur, equo animo vtrumque tolerare, & ita nec aduersis deiecti, nec prosperis elati, nomen ipsius benedicere.

Iam igitur ad diuinæ Prouidentie definitionem accedamus, quò maiorem ex ea fructum colligere, & ad debitum finem eam benè à nobis intellectam referre possimus.

Prouidentia est Dei *απορροια* & consilium æternum, liberrimum, immutabile, iustissi-

Definitio
diuinæ
proui-
dentia.



num, sapientissimum & optimum, quo Deus facit & decernit omnia in omnibus bona, mala verò fieri permittit, & ad gloriam suam & electorum suorum salutem omnia disponit & dirigit.

αὐτοῦ - In hac definitione tria comprehenduntur.
αὐτοῦ diu- Ac in primis *αὐτοῦ* illa diuina qua Deus
 na. cognoscit & videt omnia, non solum in ge-
 nere quæ sunt vel fiunt in cælo & terra, sed

Heb.4.

speciatim etiam quæ sunt abditissima & profundissima, putà varias hominum cogitationes, desideria, cupiditates, verba, motus, actionesque scrutatur. Denique, vt docet Apostolus, nulla res est creata quam non manifestam habeat Deus: imò omnia sunt nuda & patentia oculis eius, quicum nobis est negotium. Psalmo itaque 139. sic Propheta loquitur,

Intus & foris tibi

*Cognitus sum, mi Deus,
 Seu quiescam confidens,
 Siue surgens ambulem,
 Quicquid intus cogito,
 Cogitantem perspicis.*

Perlegatur ille Psalmus. Nam singuli versiculi, totidem sententiæ sunt quibus Dei semper apertos oculos nihil esse quod effugiat, edocemur. Psalmo verò 38.

*Ate quid Deus expetam
 Perspectum penitus tibi:
 Non nostra te suspiria,
 Non hæ latent te lacrymæ.*

Et

Psal. 44.

*Hæc si falsa, cuique obliui numinis, vllas
Ore maritæ preces falsis profudimus vllis
Numinibus, Deus ò penetrabilia pectoris imi
Cui secreta patent, periurum ulciscere pectus.*

Psalmo verò 94. prophanis Dei prouidentiam
negantibus, ac dicentibus.

Iste, inquierentes, nil videt Deus, nihil

Deus hic Iacobi intelligit.

sic respondet Propheta,

Audite verò vos: ò insanißimi,

Quis finis erit amentia?

Nihil audit aurium artifex? qui lumina

Creauit ipsa, nil videt?

Et paulò pòst.

Immò vnus iste vota nouit irrita,

Vanæque spes mortalium.

Psalmo verò 113.

Huius ecquis enim sublimitatem,

Quis gloriam exæquauerit?

Qui cœli tamen vsque ab arce, terris

Aduertit imis lumina.

Istud igitur esto primum firmum axioma de
Dei prouidentia, nihil eius oculos effugere:
sed contrà quæcunque sunt in orbe terrarum,
illi non minùs in mediis tenebris quàm clara
luce patère, sicut eodem Psal. 139. suprà me-
morato docet Propheta his verbis,

Sin apud me dixero,

Nigra te nox occulet.

Ipsa nox sit lux mihi:

Nulla nanque nox tibi,

Noctis ac lucis tibi

Nulla sunt discrimina.

- Volūtas.** Alterum in prouidentia diuina considerandum, est eius voluntas, quæ nunquam ab eius ~~πορρωτες~~ diuellitur, vt malè quidā somniant, & Scholasticorum nonnulli scriptis mandarunt, statuentes Deum multa nosse & videre quæ temerè & fortuito casu ferantur, quodd ea suæ spontaneæ inclinationi & desiderijs permittantur. Quod falsissimum est, & omnium errorum maximè omnium perniciosum: quo nimirum (si semel mentibus adhæserit) fidei nostræ fundamenta penitus conuelluntur. Nam, obsecro, qua re magis fiducia in Deum nostra fulcitur, quàm recordatione curæ illius ingentis quam de nobis rebúsque nostris omnibus gerit, vt eas decernat & disponat secūdum sanctam suam voluntatem, quam nihil nisi iustè & sapienter, & in electorum suorum commodum & salutem posse decernere nouimus? Hanc igitur hæresin procul abesse iubentes, sacram Scripturam ducem sequamur, & ab ea discamus quid de hac re tota nobis sit firma persuasione tenendum. Diuus Paulus ad **Ro. II. 36.** Rom. II. scribens, ex eo, & per eum, & in ipsum esse omnia, perspicuè docet, nihil vbiuis terrarum contra aut præter eius voluntatem geri, siue ipse decernat, siue fieri permittat quæcunque geruntur. Ieremias in Lament. dicit, **Lam. 3. 37** quis dixerit existere aliquid, quod Dominus non præceperit? Ex ore excelsi annon prodit malum quodque & bonum? Dauid autem

Psalmo



Psalmo 115, sic canit,

Atqui tu cæli es Dominus, tu conditor orbis,

Arbitrioque regis condita cuncta tuo.

Sapientiæ verò lib. sic de Dei providentia lo- Sap. 3.1.
quitur, Pertingit à fine ad finē fortiter, & dis-
ponit omnia suis creaturis vtiliter. Et alibi, Sap. 11.11.
dicit eam nihil nisi cum mensura, numeròque
& pondere disposuisse. Quibus omnibus locis
perspicuè docemur Dei providentiam cum e-
ius voluntate nexu indiuiduo copulatam esse,
ac proinde sic eas ab illo coniunctas ab inui-
cem separare nefas esse.

Tertius in definitione providentiæ diuinæ Finis con-
locus est, finis ad quem tum diuinum consi- filijs & o-
lium, tum ipsius opera cuncta referri debent: perum
qui duplex est: Primus, ipsius est gloria, quem eius.
præcipuum scopum in rebus omnibus visibi- Dei glo-
libus & inuisibilibus, cælestibus & terrenis ria.
primùm creandis, & iisdem hodie benignè fo-
uendis & tutandis sibi proposuit. Sic Salomon Prou. 16:
in Prouerbiis, Omnia, inquit, operatus est Ie- 4.
houa propter se, etiàmque improbum ad diem
mali. Paulus ad Rom. ait, ab iniustitia nostra
Dei iustitiam, & a mendacio nostro veritatem
eius commendari. Hic verò diligenter est ob-
seruandum, sic Deum permittere & tolerare
sceleratorum hominum & diabolorum faci-
nora, quibus ipse dedecoratur, vt illa tamen
pro sua immensa sapientia tandem in suam
gloriam conuertat & redundare faciat. Ideo
Paulus Apostolus eadem epistola de Pharaō Rom. 9.
ne loquens, ait, Dicit Scriptura Pharaoni, Ad 17.

hoc ipsum excitaui te vt ostendam in te poten-
 tiam meam, & vt annuntietur nomen meum
 in tota terra. Et in epist. ad Ephes. vt doceret
 Deum non minùs in electorum salute quàm
 in reproborum perditione glorificari, sic ini-
 tio epistolæ scribit Benedictus Deus & pater
 Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit no-
 bis omni benedictione spiritali, in cœlis in
 Christo. Sicut elegit nos in ipso antequam ia-
 cerentur fundamenta mundi, vt simus sancti &
 inculpati coram eo cum charitate. Qui præde-
 stinavit nos quos adoptaret in filios per Ie-
 sum Christum in sese, pro beneuolo affectu vo-
 luntatis suæ, ad laudem gloriosæ suæ gratiæ,
 qua nos gratis sibi acceptos effecit in illo di-
 lecto. Annon etiam obsecro sic apertè Prophe-
 ta in Psalmis loquitur,

*Pl. 76. 10. Nempe hominū quicquid fuit indignatio vana,
 Certa tibi laudis parat argumenta futura: vt
 ostendat, quasunque turbas, consilia, machi-
 nationes aduersus Ecclesiam Dei tum homi-
 nes tum Satan ipse moliantur, ad eam vexan-
 dam, & si possent funditus euertendam, eò tan-
 dem deuenire, vt Dei gloria & electorum sa-
 lus magis ac magis augeatur & promoueatur?*

Salus ele Alter operum Dei finis est, electorum salus,
etorum. quibus, vt ait Paulus omnia cooperantur ad
Ro. 8. 28. bonum Deum diligentibus, & vt loquitur Pe-
1. Pet. 1. trus, suam electionem & vocationem per ope-
Ro. 8. 21. ra bona firmam efficientibus. Et D. Paulus ait,
 Nullus glorietur in hominibus, omnia nāque
 vestra sunt: Et Paulus, & Apollos & Cephas,
 &

& mundus, & vita & mors, & præsentia & futura omnia, vestra sunt. Vos autè Christi, Christus verò Dei. Et ad Rom. Quos prædestinavit, eos etiam vocavit: & quos vocavit, eos etiam iustificavit: quos autem iustificavit, eos etiam glorificavit. Quid igitur dicemus ad hæc? si Deus pro nobis, quis contra nos? Is quidem qui proprio filio nō pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quī nō etiam cum eo omnia nobis gratificabitur? Immò per admirandam & misericordem Dei sapientiam, ut ait August. peccata quæ admisimus salutem nostram adiuuant. Quemadmodum autem videmus, stercore licet in se turpi & fœtido, resperfos agros pinguescere & fœcundari: & ex variis herbis & pharmacis, medicos & pharmacopæos optima aduersus plerosque morbos remedia conficere, quæ per se alioquin essent mortifera: sic etiam Deus noster, sua sapientia facit ut peccata nostra, quæ sua natura mortifera sunt, salutaria fiant iis qui ex illorum agnita magnitudine, sub manu Dei potentis humiliari, & in illis sibi coram ipso displicere discunt, eius se gratia & misericordia indigere, quibus illa tegantur & abscondantur, agnoscetes.

Afflictiones etiam non paruum commodum adferre fidelibus videmus, quum videlicet ad eum finem ad quem à Deo nobis immittuntur, illas referimus. Nam cæ tolerantiam efficiunt, tolerantia verò experientiam, experientia autem spem. Porro spes non pu-

Rom. 5. 3.



defacit, eò quòd charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis. Iesus etiam Christus inquit oues suas in eternum non perituras, quòd nihil sit quod eas à vita, iam ante iacta mundi fundamenta ipsis destinata, possit arcere.

Consiliū
æternū.

In Prouidentia definitione diximus, æternum esse consilium: quanuis enim certo statòque à Deo tempore fiant eius opera, decreuisse tamen illa in æterno illo suo consilio ante omnia secula & tempora certum est.

Liberrium.

Liberrimum illud consilium addidimus, quòd Deum qui est omnipotens, nulla cogat fati necessitas, & voluntatis eius executionem nihil sit quod morari possit, vel ipso teste Propheta, cuius hæc sunt verba perspicua,

Psal. 33.

*Hunc pauens tellus tremat vniuersa,
Incola hunc mundi venerentur omnes,
Cuius hic nutu imperioque totus
Exitit orbis.*

Esa. 45. 23 Apud Esaiam verò sic ipse Dominus ore suo loquens, inducitur, Per me iurauì, prodiit ex ore meo iustè verbum, quod nò reuocabitur, mihi incuruatum iri omne genu. Et alibi, Consilium meum stabit, & omnem meam voluntatem faciam.

Sapientissimū.

Sapientissimum præterea consilium vocauimus: hoc ipsum asserente Propheta Psal. 104. his verbis,

Pf. 104. 24

*O qua vis fuit illa, qua potestas,
Qua prudentia multiplex, creandis
Tot rebus simul, & simul regendis!*

Nam

*Nam quacunque patet globosa tellus,
Vis quoque imperij tui patescit.*

Et Paulus hoc ipsum apud se perpendens, & admiratus sapientiæ diuinæ magnitudinem, cōsiliorūque profunditatem, sic exclamans ait, O profundas diuitias tum sapientiæ tum cognitionis Dei! quàm inscrutabilia sunt eius iudicia, & eius viæ imperuestigabiles! Quis enim cognouit mentem Domini, aut quis ei fuit à consilio? Aut quis prior dedit ei & red-detur ei? Et Dauid Psal. 92.

*Quàm magna sunt enim Deus
Potente quæ geris manu!
Quàm sunt profunda & abdita
Quæcunque mente cogitas.
Et hæc tamen stultos latent,
Nec nota sunt amentibus,
Virentis instar graminis
Dum turba crescit impia.*

Iustissimum etiam idem consilium Dei diximus. Nam apud Deum totius orbis iudicem iniusto non est locus, vt idem psaltes profite-tur, Psal. 11. 5.

*Hinc throno ex alto à bonis recto scelestos
Diuidens discrimine,
Vt fauere illis solet, sic hos rebelles
Pectore odit intimo.*

Et alibi Psalm. 111. 7.

*Sic rigidus patuit index, fidei que renacem
Vbi que se præbuit.
Æternum siquidē rata, firma & iusta manere
Quæcunque sancit, decet.*

B. j.



Et Psalm. 5. 4.

*O tu hostis omnis perpetuus mali,
O nulla quicumq; foedera sunt malis:
Infana vultus ante tuos cohors
Vanesceit omnis.*

Et Psalm. 19. 8.

*Fida qua interpret, superum Parentis
Pandit arcanum, sapientiamque
Infimis praeatat, tumida feroces
Mente repellens.*

*Hec iter recti docet, atque puro
Gaudio mentes cumulare certa,
Quamlibet cacos recreat perennis
Munere lucis.*

Et 97. 2.

*En prodiit Deus ipse atra caligine cinctus,
Aurato inuectus folio, quo bina sedentem
Fulcra tenent: hinc illa suos qua respicit aequus
Institia: inde feros illud quo conterit hostes
Iudicium.*

Et 99.

*Tu nanque iure cuncta non vi dirigis,
Tu cuncta recti ad regulam exigis, tuo
Quod in Israele comprobas.*

Et 33. 4.

*Huius est rectum imperium, huius omne
Est opus firmum: ordine cuncta iusto
Hic gerit: tota est bonitatis huius
Conscia tellus.*

Et D. Paulus ad Rom. 6. Quid igitur dicemus?
Num est apud Deum iniquitas? Absit.

Optimū. Postremo, consilium Dei diximus optimum
esse. Nam quum sit Deus summum bonum,
quid

quid ab illo nisi summè bonum promanare? Quamobrem ipse Dominus postquam omnia sua opera condidisset, ea contemplatus, optima esse cuncta dixit. Quod & ipse Dauid infinitis penè locis confirmat, veluti Psal. iii.

*Nanque Dei verè sunt grandia facta potentis,
Audis probè nota omnibus.*

*Magnificum est quodcumque facit splendensque
decore,*

Et iustum opificem comprobans.

Et Psalm. 33.

-- tota est bonitatis huius

Conscia tellus.

Sic igitur à nobis diuina definita Prouidentia, superest vt quædam de rebus iis in quas fertur, attingamus. Singulas enim, siue in genere, siue speciatim pertractare prorsus nobis *ad dūa* foret: quum res sit infinita, & omnes humani ingenij, imò rerum omnium creaturarum vires superet. Pauca quædam igitur, pro ingenij nostri captu, quæ consideratione digna putamus, breuiter tractabimus: vt ex eorum tractatione magis ac magis in Dei cognitione, timore & fiducia proficere discamus; quum nullo firmiore fundamento fiducia illa nostra in omnibus etiam maximis quibuscum luctari solet tempestatibus niti possit, quàm frequenti meditatione sententiarum & exemplorum quæ nobis sacræ Scripturæ affatim suppeditant, de sollicitudine & cura Dei de suppeditandis in vniuersum suis rebus creatis quæcumque ex eorum vsu esse cognouerit. Sed

B. ij.

Primùm in primis Ecclesiæ suæ, quam instar thesauri & speciatim in peculij pretiosissimi à Deo custodiri docet suam Ecclesiæ. Propheta, his verbis, Psal. 135.3.

*Deum canite quo nil melius aut pulchrius,
Vtò Iacobum qui suum allegit sibi,
Et Israëlẽ ceu peculium fouet.*

Et Psal. 148.

*Et vos ô pueri, vos quoque virgines,
Et lanugo quibus prima notat genas,
Vite & qui spatium curritis vltimum,
Æternis Dominum tollite laudibus.
Hic est cuncta procul qui supereminens,
Cælum quâque patet, quâque patet solum,
Complect cuncta sui nomine numinis,
Et firmo Isacidas robore roborat.
Hunc ergo Isacide, sacrum hominum genus,
Et chari superũ præ reliquis patri,
Æternis hilares dicite cantibus,
Æternis alacres tollite laudibus.*

Et Psal. 105.

*Felix Abramidũ ô soboles, stirps sancta Iacobi,
Quam sibi selegit numen, propriamq; dicauit:
Et cui se totum Dominus cœlique solique
Tradidit, illius pacti non immemor vnquam,
Quod statuit nullis vnquam violabile seclis.*

Prou. 10. Quum igitur Ecclesia sit populus, quem Solo-
Deinde mon mundi vocat fundamentum, vt manife-
in mun-stum fiat Deum in electorum suorum potissi-
dum & mum gratiam ab initio mundum & quicquid
res crea- ille complectitur, creasse, & deinceps conser-
uas in Ec- uasse & in quo statu est fouisse, tandẽque ex
clesiæ cõ præscripto illo ordine gubernasse & rexisse,
modum. dabi

dabimus operam vt quicquid de diuinæ Pro-
 uidentia effectis dicturi sumus illud ad Eccle-
 siæ Dei commodum referamus, vt nempe in
 aduersis eam erigamus & sustentemus, ne for-
 tè illis obruatur: in secundis verò in officio
 retineamus, ne prosperis elata nimis sui ipsius
 obliuiscatur: quod sæpe contigisse plerisque
 vidimus, qui sunt eò insolentiores facti, quò
 maioribus erant à Deo beneficiis cum summa
 tranquillitate cumulati.

Porro sunt à nobis opera diuinæ providen- Ordo i-
stius tra-
ctatus.
Catalo-
gus.
 tiæ consideranda, primùm in rerum Natura,
 hoc est, in rebus omnibus creatis, tū animatis
 tum inanimatis: deinde in Ecclesia, quam sibi
 Deus tanquam peculiarem populum vindica-
 uit, & hæreditatem ex reliquis omnibus sibi
 selegit & acquisiuit, vt in eius vsum & commo-
 dum quæcunque natura producit, cedere fa-
 ciat. Istud autem efficit Deus modò per ordi-
 narias vias, modò extraordinarias, sicut ex iis
 quæ deinceps paucis percurremus, perspi-
 cuum fiet.

Initium igitur faciemus à Mundo, qui hoc
 nomen Mundi vt apud Græcos κόσμος sortitus
 est, propter excellentem & perfectam quæ in
 eo conspicitur pulchritudinem: quam ex Phi-
 losophis nonnulli, velut Epimenides, Anaxa-
 goras, Atlas, ita seculo suo sunt admirati, vt in
 illa contemplanda dies noctesque rotas tradu-
 xerint, & quidem tanta cum animi intentio-
 ne, vt cibum etiam sumere sint obliti. Et sanè Aedificiū
nulli imi-
tandum.
 incomparabile est ædificium mundi machina,

B. iij.

& nulli prorsus quantumvis perito artifice imitandum, ne si quidem ipse Archimedes aut quispiam illo peritior ingeniosiorve extiterit. Multi Principes ut suam ostentarent magnificentiam, opum splendorem, potentiaeque suae magnitudinem, & ut nominis sui famam & celebritatem apud posteros propagarent, alij superba palatia exaedificarunt, alij in sumptuosis palatiis construendis, alij in templis, alij in pyramidibus & obeliscis, alij in viis publicis erigendis multum operae impenderunt. Sed, quaeso, quantulum illud est, si cum huius palatii quod ex nulla substrata materia Deus tanta magnitudine, magnificentia, pulchritudine & excellentia verbo suo construxit? Ex nihilo enim fecit omnia, & sine opifice tantum opus perfecit: rem sane admiratione dignam, & quidem eo magis quod vno momento solo ipsius verbo totum illud opus constructum est, ut Psaltes memorat Psal. 33.

Ex nihilo factum.

Solo verbo.

*Huius hic nutu imperioque totus
Exitit orbis,*

Et ibidem.

*Huius ad vocem semel intonantis,
Exitit caeli fabrefacta moles,
Et simul totus micuit coruscans
Ignibus ether.*

Firmum. Porro multa in hoc opere digna sunt admiratione summa, sed in primis eius firmitas, quae ad hodiernum usque diem mundus supra annos quinquies mille creatus, ita perstat, ut in eo nihil immutatum, diminutum aut verustate &

te & diuturnitate temporis vitiatum conspiciamus. Quod ipsum etiam David summa cum admiratione contemplatus, exclamat Psalm. 119. litera Lamed.

*Quàm sint firma tuo quæ manant ore profecta,
Cælorum docet ardua moles:*

Et tua iussa probat nullos violanda per annos

Firma suo stans pondere tellus.

Nam te cuncta, tuo posita & perstantia nutu

Autorem Dominumque fatentur.

Deinde mundi capacitas & amplitudo, quam Capax. obsecro est stupenda? quam etiam Propheta sic commendat, Psalm. 19.

Curva quod mundi spatia vniuersi

Complet inane,

Arte inaudita artificis supremi

Clamitant sese fabrefacta quondam,

Cuius æternum decus usque totus

Personat orbis.

Et sanè quis non miretur, terram, cuius tanta Motuum æquabili tamque spatiosa moles est, mare, aërè, ignem, tate distinctum. sphæram & globos cœlestes hac vna mundi machina contineri & circumcludi? Quid verò: annon illa motuum mundi æquabilitas, conuersio cœli, & syderum distinctio, tam multarum atque tantarum rerum ordines, quasi circino distincti & æquati, meritò res omnes creatas in sui admirationem cōuertunt? Quod ipsum suspiciens David ait Psalm. 148.

Et quocumque semel constituit, potens

Fixum perpetuo limite continet.

Quantum etiam miraculum est mundi, ex quo Cōseruatio mūdi.

B. iiij.

creatus est, conseruatio? qui quum iam inde ab initio fuerit in motu perpetuo, & omnia diurnitate temporis consumantur, vel ipsa teste in rebus omnibus creatis experientia, nihilominus tamen in eodem in quò primùm est statum conditus, perseveret? Ex quo sanè luce fit clarius diuinam prouidentiam & sapientiam esse supremam quandam & infinitam virtutem, cuius, vt ait Apostolus, potèti verbo cuncta sustinentur.

Heb. I. 3.

A crea-
tore gu-
bernatur.

Annon etiam aliud est miraculum, mundi gubernatio, cuius iam inde à creatione fuerūt æquabiles vicissitudines, sine insigni vlla mutatione, siue in cœli, siue in aliorum elementorum conuersionibus, sed eadem semper motuum cœlestium iam inde à sua origine æqualitas? Reges animaduermus in suis regnis, Iudices in prouinciis, ipsos Parentes in suis familiis, solos non sufficere regendis ipsorum fidei commissis populis, aut familiis, sed Parlamentis, Prouinciarum rectoribus, Prætoribus, ministris denique non paucis indigere, quorum opera & ministerio sibi commissos greges curent, & sæpe tamè nihilominus multa in ipsorum consiliis, gestis & administratione desiderari. Deum verò solum conspiciamus sine labore, cœlum, terram & quæcunque sub hac mundi machina continentur, regere & moderari. Quod quum ita sit, nã suspicere nos & admirari diuinam illam prouidentiam, potentiam & sapientiam decet, atque adeo sæpe nobis in memoriam reuocare quæ Propheta diui

Huius doctrinæ v-
sus.

diuino sic afflatus spiritu nos docet. Quis mē-
sus est pugillo suo aquas, & cœlos spithama
expēdit, aut complexus est trientali puluerem
terræ? & ponderauit statera montes, & colles
lancibus? Quis expendit spiritum Ichouæ? vt
vir à consiliis ei docuit eum? Cum quo com-
municauit consilium vt instrueret se, docerēt-
que se iter iudicij? doceret, inquam, se scien-
tiam, & viam summæ prudentiæ notam face-
ret sibi? En gentes, tanquam gutta è situla, &
tanquam flos puluisculi in lancibus reputan-
tur: en, insulas vt rem minutissimam disposi-
turus esset. Etiam Libanus non sufficeret ad
comburendum, & animalia eius non suffice-
rent holocausto. Omnes gētes velut nihil sunt
coram eo, minus nihilo & inanitate reputan-
tur ei. Cui ergo Deum fortem assimilabitis, &
quam similitudinem comparabitis ei? Sculpti-
le tegit artifex, & aurifex auro obducit illud,
& catenas argenteas conflat. Qui ita indigus
est vt non habeat quod offerat, lignum nō pu-
trescens eligit: artificem peritum quærit sibi
ad parandum sculptile quod nō dimoueatur.
Annon cognoscitis?annon auditis?annon in-
dicatur à principio vobis?annon intelligitis
inde à fundamentis terre, Eum qui insidet am-
bitui terræ, cui habitatores eius sunt velut lo-
custæ: qui extendit velut conopæum cœlos, &
distendit eos sicut tētorium ad habitationem,
qui disponit dominatores in nihilum, iudices
terræ sicut rem inanem efficit? Neque plan-
tantur, neque feruntur, neque radicatur in

terra succifus truncus eorum: quia vel infu-
 flante eo in illos exsiccantur, ac turbo quali
 stipulam tollit eos. Cui ergo assimilaretis me,
 aut equalis essem? ait sanctus. Quæ quum Pro-
 pheta de Dei magnificentia, maiestate, poten-
 tia, sapientia, prouidentia magnificè prædi-
 casset, ad populum conuersus, eum hortatur
 vt illam admonitionem ad suam vtilitatem
 referat, sic eam illi applicans. v. 27. Quare dice-
 res Iacob & loquereris Israel? abscondita est
 via mea à Iehoua, & à Deo meo causa mea præ-
 terit? Annon nouisti? nonne audiuisti Deum
 æternum Iehouam, creatorem extremitatum
 terræ non defetisci, neque defatigari? nulla est
 peruestigatio prudentiæ eius. Dat defesso vir-
 rurem, & defecto viribus robur copiosè sup-
 peditat. Defetiscuntur quidem pueri & defa-
 tignantur, & iuuenes prorsus impingunt. At
 expectantes Iehouam mutant vires, ascendunt
 pennis velut aquilæ: currunt, neque defatigan-
 tur, pergunt, nec defetiscuntur. Quod ipsum
 Propheta sequente capite dilucidioribus ad-
 huc & expressioribus verbis exprimit, sic i-
 psium populum Dei nomine compellans. v. 8.
 At tu, Israël, serue mi, tu Iacob quem elegi, se-
 men Abrahami amici mei: Tu quem prehendi
 ab extremitatibus terræ, & à selectis eius auo-
 caui te, dicens tibi, Seruus meus es, elegi te, ne-
 que sperno te: Ne timeto, quia tecum sum, ne
 stupeto, quia ego sum Deus tuus: fortifico te,
 etiam auxiliior tibi, etiam sustento te dextera
 iusta mea. En erubescet, & ignominia perfun-
 den

¶. 41. 8.

dentur quicunque exardescunt contra te: erunt
 tanquam nihil, & peribunt aduersarij tui.
 Quærens eos non inuenies eos: qui concertant
 tecum, erunt tanquam nihil, & tanquam ni-
 hilum homines oppugnantés te. Quum ego
 Iehoua Deus tuus, prehédam dexteram tuam,
 qui edico tibi, ne timeto, ego auxiliabor tibi.
 Ne timeto, vermés Iacobi, Israëlitarum: ego
 auxilior tibi, dictum Iehouæ, & redemptoris
 tui sancti Israëlís. Ecce dispositurus sum te in
 tribulum stylis recentibus bipennem: tritura-
 bis montes, comminuésque, & colles tãquam
 glumam dispones. Ventilabis eos, & ventus
 auferet eos, ac turbo disperget eos: tu verò
 exultabis in Iehoua, in sancto Israëlís gloria-
 beris.

Quos tam insignes locos diligenter anno-
 tare, & in recenti memoria semper habere nos
 oportet. Nec enim à Propheta nobis in alium
 finem effecta diuinæ potentia & prouidentia
 proponuntur, quàm vt quum animis nostris
 penitus istud inhæserit, Deum nempe totius
 vniuersi rectorem & administratorem esse,
 cuius nutu & arbitrio Cælum, Terra, cetera-
 que elementa, longè facilius suis ordinibus di-
 stincta gubernentur quàm libram manu sua
 quilibet rexerit, eò facilius nos eius fidei &
 præsidio committamus, ab eius prouidentia
 in omnibus nostris negotiis pendeamus: in om-
 nibus afflictionibus in illo nos sustentemus,
 tandè inque omni metu & formidine posita,
 aduersus quoslibet hostes & quæuis pericula

Vtilitas
 ex supe-
 rioribus
 percipiē-
 da.

perstemus intrepidi.

Angeli.

Et hæcenus quidem de mundo vniuerso: qui, quum, vt ait Apostolus, in nostros oculos incurrat, Dei inuisibilia nobis, ipsius nempe potentiam æternam, & diuinitatem repræsentat: itaque iam ad singulares illius insigniores partes accedo, in quibus eius gloria & splendor luculentius emicant. Ab Angelis igitur initium faciam, qui sunt, vt docet Apostolus, spiritus ministratores, qui ministerij causa mittuntur propter eos qui hæredes erunt salutis. De quibus quid dicat scriptura primum est aduertendum, quæ vocat eos, fortitudines,

Nomina
ipsum
quibus
Dei pro-
uidens &
potens fa-
pientia
demon-
stratur.
2. Sam. 24

potentias, imperia, potestates, virtutes, dominationes, vt ex iis nominibus intelligamus quâto illos Deus robore ad iudicia sua & mandata exequenda instruxerit: quod ex Sodomitarum & Gomorrhæorû, & eorum Ægyptiorum qui in mari rubro demersi sunt exemplis est notissimum. Et illius Angeli etiam exemplo clarum est qui contra Ierosolymam apparuit, Dauidis peccatum ulturus, quod vniuersum populum Israël, contra expressam Domini prohibitionem, lustrari numerarique iussisset. Necnon illius qui Balaamo in via occurrit, prohibetur ne Dei populo malediceret, ad quem tamē, à Balaco Moabitarum Rege vocatus, maledicendum festinabat. Et illius qui vna nocte in Sennacheribi exercitu centum octoginta quinque millia profligauit. Et tandem illius qui Herodem Ecclesiæ persecutorem percussit, quod Deo gloriam non reddidisset,

Act. 12.

Num. 22.

didisset, vnde contigit vt à vermibus erosus in maximis cruciatibus animam efflaret. Præterea potestates illos vocari sciendum est, non solum propter facultatem quam acceperunt à Deo mandata ipsius ac decreta promptè conficiendi, ita vt eos nulla vis impedire possit: sed etiam quòd fideles, & Dei filios, aduersus omnem vim, omnes impetus & machinationes quas aduersus eos struunt ipsorum inimici, tutari ac defenderè possunt, vt David ait,

Ps. 34. 7.

Angelicaq; pios vigilēs hinc inde phalanges

Denso tuentur agmine.

Et alibi, singulos fideles compellans,

Totus ergo luis manebis expers,

Domum plaga tuam nec vlla tanges:

Ipsē nam superum pater beatos

Qua tu cunque ieris adesse insit,

Custodes tibi spiritus futuros:

Qui te cœu manibus ferant euntem,

Nē te foris silex acuta ladat.

Et sanè videmus Angelos Abrahamo valde familiarēs fuisse, eum de Dei voluntate certiorē facientes, promissis sustinētes & bona sperigentes, fore vt ex Sara, licet sterili, & iam effētis viribus ad gignendam sobolem inepta liberos tolleret. Sic legimus Iacobum Angelorum variis vicibus illi apparentium consolatione erectum & confirmatum aduersus tam Esauī fratris ipsius, & Labani auunculi minas, quàm Heuæorum inter quos habitabat, quorum sæpe aduersus ipsum malas voluntates & perniciosissima consilia Angeli represlerunt.

Gen. 18.

Sic etiam quo tempore Madianitæ subiugatos Israëlitas & in seruitutem reductos tā crudeliter & immaniter tractabant, vt ad euitandas iniurias quibus ab illis quotidie afficiebantur coacti sint ad tempus in montes fugere, & in iis fossas & latebras in quibus habitarent quærere, Angelus Dei, qui tantæ illorum afflictionis misertus erat, ad Gedeonē ab ipso Domino missus est, qui ad bellū aduersus inimicos alacri animo suscipiendum ipsum excitaret, atque animum adderet, quo duce tandem miraculosa interneccione deleti sunt.

Marth. 2. Quum Herodes magnus Christum Dominum in infantia tollere decreuisset, Angelus Domini Iosepho per somnium apparuit, monens eum vt assumptum puerum & matrem ipsius in Ægyptum fugiens, tyranni furori subduceret.

Act. 12. Petrum etiam captum & in vincula coniectum iussu Herodis filij magni illius Herodis, in quibus strictè admodum seruabatur à quater quaternis militibus quibus traditus erat, Angelus Domini liberauit, nocte quæ proximè diem precedebat quo supplicium illi mortis tyrannus præparabat.

Act. 16. Paulus & Silas, Philippis, in carcerem missi sunt, id seditiosis quibusdam qui aduersus eos insurrexerāt, flagitantibus & persequentibus, sed non multo post quàm essent coniecti diuina prouidentia liberati sunt, & carceribus educti: Quibus omnibus locis & exemplis, & infinitis aliis, quæ passim in scripturis occurrunt, docemur Deo summæ curæ esse suorum salutē, quibus etiam
ser

seruandis & ex periculis variis extrahendis, v-
tatur Angelorum, vel cuiuscunque rei creatæ
visum illi fuerit, ministerio.

Ab Angelis, de quibus diximus, ad cælum Cælum.
transeamus, quod Scriptura vocat Expansum, Cælum.
vt eius nos doceat altitudinem, latitudinem &
profunditatem, quorū magnitudinem nemo
possit metiri: cuius quum tanta sit tamque va-
sta testudo, nullis tamen aliis fulcris, aut co-
lumnis quàm solo Dei verbo, per quod est ab
initio constructa, fulcitur. Præterea motus eius Cæli mo-
tus rapi-
dissimus.
tam celer est & rapidus vt viginti quatuor ho-
rarum spatio quotidie ab vno extremo ad a-
liud extremum conficiatur. Qua in re operæ-
pretium est nos immensam & admirandā Dei
prouidentiam & potentiam contemplari. Ab
hoc enim primo mobili pendet reliqui omnes
particulares motus qui sunt tum in ipsis Ele-
mentis tum in reliquis ex illis compositis re-
bus creatis, quas alioqui stupidas, graues, pon-
derosas & inutiles esse necesse foret, nisi ab
hoc primo cæli mobili mouerentur & impel-
lerentur. In quo etiam est magnopere suspi-
ciendus decorus ille & superbus color cæru- Color cæ-
ruleus.
leus, quo singulæ eius partes ita exornatæ sunt,
vt omniū oculos in se pelliciant, vt in eo crea- Prima
ex cæli
confide-
ratione
utilitas
referenda.
torem admirati, meritis ipsum laudibus effe-
ramus: in illo exultemus, & in illo nos conso-
lemur, certò persuasi cōuersationem nostram
& domicilium illic esse, vbi Dei promissis cer-
tis & indubitatis freti speramus nos ciuitatem
in æternum permanentem consecuturos, post-



Altera v-
eilitas.

2. Cor. 15.

Tertia.

Pl. 19.1.

quam ex hac caduca & corruptioni obnoxia
vita exceſſerimus, modò viribus omnibus ni-
tamur vt moribus noſtris illi loco ad quem
contendimus, ſimiles ſiamus. Et quemadmo-
dum Cœlum purum eſt & omnis expers cor-
ruptionis, ſic etiam puritati, ſanctitati ſtuden-
tes, irreprenſibiles & ſine macula ſimus, ma-
gis ac magis ad ſanctæ illius Ciuitatis incola-
rum ac ciuium mores vitam noſtram confor-
memus, in qua pollutis & prophanis nullum
eſſe locum docet Apoſtolus, quū ait, Carnem
& ſanguinem non poſſe regni Dei hæredita-
tem conſequi: neque corruptionem conſequi
incorruptæ naturæ hæreditatem. Magnā præ-
terea Deus nobis in cœlorum contemplatio-
ne proponit vtilitatem, quam Dauid Pſal. 19.
attingit, illos nimirum nobis iſtar doctorum
eſſe viſibilium, à quibus ſcientiam longè o-
mnium reconditiſſimam & ſummam, Dei
nempe noſtri magnificentiam, potentiam, ſa-
pientiam, conſtantiam, veritatem & diuinita-
tem diſcamus: adeò vt meritò cū veteri quo-
dam dixerimus cœli machinam eſſe librum o-
mnium quos euoluere poſſimus pulcherri-
mum, qui nos Deum prædicare, celebrare, a-
mare, & timere doceat: quibus ſcientiis nullas
pulchriores nec vtiliores à ſuis præceptoribus
ſtudioſos oportet expectare, vt iam ſuprà di-
cto loco Dauid teſtatur his verbis,

*Illa cœlorum irrequieta moles,
Et ſolo ex imo ſuperos ad axes
Curua quod mundi ſpatia vniuerſi*

Complect

*Complet inane,
Arte inaudita artificis supremi
Clamitant sese fabrefacta quondam,
Cuius æternum decus vsque totus
Personat orbis.*

*Clara lux lucem, & tenebrae tenebras
Mutuo nexis vicibus prementes,
Inclyti alterno celebrant parentis
Carminè laudes.*

*Barbaras vsquam regio nec vlla
Sic alit gentes, nequeant vt istas
Assequi toto penitus sonoras*

Æthere voces.

Quarta.

Cœlorum præterea machinam, ignauiam nostram & erga Deum ingratum animum arguere ex illorum contemplatione discimus, quòd ad Dei mandata semper attentè sunt, & ad exequenda iussa alacres & prompti, quod Moses & Esaias testatur, ille quidem in Cantico suo, dicens, Præbete aures cæli, & eloquar: Deut. 32.
& audito terra sermones oris mei: hic verò visionum suarum initio, vbi sic eos compellat, Audite cæli & auribus percipe terra: nam Iehoua loquitur: filios educaui & extuli, ipsi autem defecerunt à me: Quòd vterque à populo ad elementa conuersus, attentionem ab illis ad Iehouæ dicta percipiēda requirit, suorum auditorum perniciem & cordis duritiē, quam nimium multis argumentis cognitam habebant, tacitè arguit & condemnat: quòd temporis successu tam negligentes facti fuerant, & verbi diuini tædium ac fastidium sic eos ce-

Isa. 1.

C. j.



perat, vt nullam apud eos ampliùs haberet authoritatem, sed oscitanter illud & somniculose auscultarent.

Quinta.

Denique cœli, quoties illos suspicimus, firmissima nobis esse debent testimonia quibus de verbi diuini certitudine & constantia, siue promittat, siue minetur, siue iubeat, certiores fiamus. Nam præterituros etiam cœlos dixit Christus, verbum autem Dei in æternum permanens. Quod etiam respiciens Dauid sic ait Psalm. 119.

Cetera magna licet sua claudunt tēpora, solum

Meta est verbum numinis expers.

Sexta.

Adde superioribus, Cœlos etiā nonnunquam, quoties ita Deo visum est, fissos fuisse, vt seruos suos consolaretur & subleuaret: quod Elię tempore contigit, quem igneo curru in cœlum turbine sublatum & in eo receptum, fuisse legimus. Sic etiam quum Iohannes Baptista Christum baptizasset, & Iesus baptizatus ascēdisset ex aqua, ecce aperti sunt ei cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem quasi columbam, & venientem super ipsum. Et ecce vox adfuit è cœlis, dicēs, Hic est Filius ille meus, dilectus ille, in quo acquiesco. Quod à Domino factū est, vt Ioh. Baptista de Redēptoris aduentu certior fieret. Quo tēpore Iudæi qui Synagogæ intererant S. Stephanum lapidibus obruerunt, dentibus in eum stridentes, bonus ille vir quum esset plenus Sp. S. intentis in cœlum oculis, vidit gloriam Dei, & Iesum adstantem ad dextram Dei. Et ait, Ecce conspicio cœlos

los apertos, & Filium hominis adstantem ad dextram Dei: Quod sapiente Dei consilio & decreto contigit, qui seruum suum in agone illo sic subleuare & animare voluit, & sic testari se rebus creatis ferè semper ordinariè, aliquando verò etiam extraordinariè ad suorum electorum commodum & salutè promouendam, pro vt ipsi visum est, vti.

A cælo ad Solem accedamus, qui primus & Sol præcipuus inter planetas, & omniū pulcherrimus est: vnde Dauid etiam dicit, illum ex patris suo, quod illi Deus in cælo fixit, egredi,

Quale vernanti pudet ore toto

Prodiens conuux thalamo futurus,

Talis Eoa procul aureus Sol

Surgit ab ora.

Quale robustusque agilisque cursor

Enolat præceps stadium pererrans,

Vltimis donec spatiis superbè

Victor anhelet.

Psal. 19.

Quum istam pulchritudinem contemplantur, Quid so
magno gaudio exultare nos oportet, quòd ex lisdiceat
Dei verbo certò scimus in consummatione se- pulchri-
culi filium hominis missurum Angelos suos, tudo.
qui colligent ex ipsius regno omnia offendi- Mat. 13.
cula, & eos qui dant operam iniquitati: proiici-
entque eos in fornacem ignis: illic erit fle-
tus, stridorque dentium: & Tunc fore vt iusti
fulgeant vt Sol, in regno patris sui: Quod ipsum
clariùs adhuc nobis & ampliùs est patefactum
in Domini nostri Iesu Christi transfiguratio- Mat. 17.
ne, qua voluit specimen quoddam eius gloriæ

C. ij.



dare, quam tum ipse tum ipsius electi in regno illo cœlorū assecuturi sunt, in quo facies ipsorum vt Sol fulgebunt. Si futurum est igitur vt
 Phil 3. 21. corpus nostrum humile sicut docet Apostolus, transfigeretur, vt conforme fiat eius corpori glorioso, pro efficacitate qua potest etiā subiicere sibi omnia, certi esse debemus, fore vt quum in eius regnum peruenerimus, in eo sicut Sol splendamus, & nihil in nobis nisi purissimum, splendidissimū, nitidissimūque sit.
 Ap. 12. Quemadmodum & Iohannes de Ecclesia loques, ait, Et visum est, signum magnum in cœlo: mulier amicta Sole, sub cuius pedibus erat Luna, & in capite eius corona stellarum duodecim: quibus verbis indicat, Ecclesiam, postquam tota in regnū Dei recepta fuerit, omnibus partibus luminosam & splendentem fore, omnibus tenebrarum ab illa fugatis reliquis: interea tamen splendorem illum quo erit insignis, ipsi communicatum iri gratia sponsi ipsius, qui eam vndiquaque suo splendore amicturus & amplexurus cit.

Lux.

Post pulchritudinē, operæ pretium est nos summam Dei prouidentiam in Solis calore & luce cōsiderare: quod homines à Deo nihil luce suauius, vtilius-ve acceperint, cuius aspectu animalia exhilarantur & reficiuntur, omnibus lucet iter facientibus, vt in offenso pede singuli suam viam conficiant, omnibus artificibus, vt quisque quam nouit artem exercere possit.

Calor.

Calorem verò eius quis nō admiretur, quod quum tam altum locum in cœlis occupet, & tam

tam procul à terra distet, radios tamen suos in illam immittens, sic calefaciat vt seminibus, quæ prius excepit, educendis, & ad fructuum maturitatem secundû vniuscuiusque speciem perducendis aptam & habilem reddat. Deinde commutationes illę temporum quadripartite, quas suo motu Sol efficit, non modò sunt utilissimæ sed etiã iucundissimæ, putà Ver, Æstas, Autumnus, Hyems, quę (vt ait Philo) quatuor principes fœminas in chorum saltantes, sęque inuicem manibus complexas imitatur. Quod ipse Dauid suspiciens ait Psalm. 74.

Conuer-
sio.

*Tu terre sp̃atia hæc & illa certis
Metis limitibusque terminasti:
Quæ nunc horrida te iubente feruent,
Et nunc algida te rigent volente.*

Et hætenus quidem de ordinariis diuinæ providentiæ operibus in Sole conspicuis.

Quòd ad extraordinaria verò. Solem quoties suspicimus, toties nobis testis est Dei constantiæ in verbis suis, vt ait Dauid Psalm. 89.

Dei con-
stantiæ &
firmita-
tis exē-
plum.

*Hoc etenim iuratus ego, meâque ipsius olim
Numina testatus, dixi irrevocabile verbum,
Imperium fore Davidis semēque perexare,
Aurea dum Solis radiabit in æthere lampas,
Et noctis tenebras Luna moderabitur orbis,
Iurata testis fidei celestis uterque.*

In hunc finem Deus Ezechia signum dedit in umbra Solis, quam decem gradibus retrocedere iussit, vt certiore ipsam de promissione illa quam acceperat à Deo de prorogata in annos quindecim vita faceret. An non etiã ad

2. Reg.
20.

C. iij.

Ios. 10. Iosue preces Sol in medio cœli substitit, nec festinauit ad occasum quasi diem integrum, vt Iosue faueret, hostes populi Dei cum exercitu suo insequenti, ne noctis beneficio morti sese subducerent: Sic in Ægypto Deus quum terram tenebris adeo obscuris & densis, vt vel manu tangi possent, operuisset, an nō Israëllem populum suum excepit, cuius in Ægypto regionem Sol radiis suis illustrabat, quandiu Ægyptij funebribus & profundis tenebris demersi iacebant, vt loquitur Dauid Psalm. 105.

re verba sequuntur,

Tristia cœpuntur Phariis miracula terris.

Nocte etenim cœlum subito subtextitur atra,

Lux nusquam, tenebris mandantur verba sequuntis.

Qua in re perspicimus quanta Deus solitudine per suam prouidentiam electis suis prospiciat, & rebus afflictis succurrat: & simul quanta promptitudine & alacritate res omnes creatæ iussa ipsius exequantur.

Exod. 10. Quoties Sol oritur quotidie, toties nobis re-
Soliusti præsenteratur pulcher ille & venustus Sol iusti-
tiæ. tiæ, qui, vt ait propheta, sanitatem fert in alis
Malac. 4. suis, qui mentem illustrat & tenebras eius dis-
cutit, qui corda nostra in Dei amorē & in eius
cultum magis ac magis inflammat: Denique
non parum suspicienda res est in Sole eius ec-
Luc. 23. lipsis, quæ sub mortem Domini nostri conti-
git, auertente Sole vultum suum ne tam im-
mane & horrendum facinus videret, tantam-
que in populo illo ingrati animi notam, vt ea
nulla

nulla maior vnquam in toto terrarum orbe
extiterit.

Tranſeamus ad Lunam, vt in ea notabiliores Luna.
effectus tum ordinarios tum extraordinarios
prouidentia diuinæ diſpiciamus, & in iis egre-
giam eius in nos voluntatē agnoſcamus, quòd
illos in ſuorum commodum ſemper conuer-
tat. In primis Luna frigida eſt, vt ait Propheta,
Pſalm. 121. 6.

Luce non te lampade

Sol aduret torrida,

Luna te vaporibus

Non liquabit humidis.

Summa porro Deus iſtud effecit ſapiētia, vt Eius fri-
giditas.
Solis diurni torridos & ingentes aëſtus Lunæ
nocte lucentis frigore temperaret. Nam alio-
qui Sole torrerentur & adurerentur mortales,
quos temperato calore fouere deberet.

Experientia etiam oſtendit Lunæ influen- Efficacia
in cor-
pora in-
feriora.
tias in corpora terrena magnam vim in illis
alterandis habere, quod ex eo cognoscimus
quod nauæ in maris fluxu & refluxu obſerua-
runt: & chirurgi in venarū ſectionibus: quod
etiam in marinis conchis, & oſſium medul-
lis totiuſque corporis humani conſtitutione
videtur, quod plenilunio longè robuſtius eſt
quàm ſub illius defectum.

Nec exiguum iſtud eſt Lunæ commodum, Lunæ
phaſium
utilitas.
quòd ea vtimur ad dies, mēſes & annos ſignan-
dos & diſtinguendos, ad Annales & hitorias
ordine conſcribēdas, & ad poſteros transmi-
tendam rerum quæ noſtro ſeculo memoria

C. iiij.

dignæ contigerunt, cognitionem: quod etiam Prophetæ diligenter observauit Psalm. 104.

*Tu Luna varios simulque fixos,
Statis temporibus regis labores,
Tu Solis iubar aureum gubernas
Certis exoriens cadensque metis:
Tu lucem facis, & facis tenebras
Quæ clarum simul ac diem fugarunt,
Tum lustris rabida fera relictis
Per noctis tacitas vagantur umbras:*

Statum
ecclesiæ
tribus in
rebus re-
præsen-
tat.

In Luna præterea propriè & ad viuum Ecclesiæ statum expressum habemus præcipuè tribus in rebus. Prima, in eo quòd quæ Luna per se fit corpus opacum & tenebricosum, Solis tamen radiis susceptis illustratur: Sic Ecclesia, quæ natura sua nihil nisi tenebras sapit, per Dei gratiam capax efficitur suscipiendæ lucis qua Christus sponsus ipsius illam irradiat. Altera in eo quòd quemadmodum Luna splendorem suum nō aliunde quàm à Sole haurit, sic Ecclesia decus suum & dignitatem omnem à solo suo capite capit. Tertia, quòd sicuti Luna nūquam in eodem statu permanet, sed cre- scit vel minuitur prout ad Solem propius ac- cedit, vel ab eodē recedit: sic Ecclesia quo vel propius ad Christum accedit, vel ab eo procul recedit, magis est minús-ve decora. Ideo So-
Cant. 6. lomon in suo Cantico dicit eam pulchritu- dine Lunam assequi: his verbis docēs, eam so- la mariti pulchritudine venustam esse, quem- admodum Luna non alio splendore quàm So- lis lucefcit.

Extra-

Extraordinaria porro in Luna sunt quod in Sole supra animaduertendum diximus, nempe ad Iosue preces illam in valle Aschalonis substituisse, ut populus Israëliticus victoriam suam tantò facilius persequeretur & hostes ad internecionem temporis opportunitate fauente caderet.

Victoriã
Iosue in
memo-
riam re-
ducit.
Ios. 10.

Quod verò S. Iohannes in Apocalyps. de Ecclesia loquens dicit, illam sub pedibus suis Lunam habuisse, notandum est in eo nobis allegoricè designari, per varietatem & diuersas Lunæ phases, Ecclesiæ conditionem, quæ sic docetur contemnere & veluti pedibus calcare rerum omnium terrenarum gloriam & fastum, propterea quod incertæ sunt, variæ, mutabiles, inconstantes, caducæ & corruptioni obnoxia, & veluti flos campi arescentes. Scriptura etiam disertè nos præmonet, ante diem vltimum, Deum in Luna, Sole & aliis creaturis non dubia signa sui aduentus editurum, ne nos incautos deprehendi contingat, sed maturè nos ad illum excipiendum præparantes, succinctis renibus, & lampadibus accésis cum præstolemur: nihilque nos remoretur quominus sponsum in thalamum intrantem ad nuptias comitemur.

Conditio
& officiũ
Ecclesiæ.

Deinceps de stellis dicamus, quas Deus singulas ordinauit, ut homines de multis quæ sunt ex ipso officio commonefaciant: ut agricolam doceant quo tempore sementis facienda sit, nautam quo tempore nauigare, vel in portu propter tempestates & pericula quie-

Stellæ.

scere debeat: qua de re Iobus libro suo nonnihil dicens, Quis facit Arcturum, Orionem & Pleiadas, ac penerrantium Austri sidera: Quibus verbis Deum horum omnium authorem esse innuit, ut hominibus quid, qua opportunitate, faciendum sit commonstrent. Hoc ipsum nos David, illorum omnium peritus, non sine admiratione docet, ut opera Dei suspicientes, tanti creatoris nomen summis laudibus indefinenter efferamus.

*O Deus, ô mundi solus qui flectis habenas,
Ut tua se virtus terras diffudit in omnes!
Ut decor iste tuus cœli super alta coruscat
Culmina! Quin etiam qui matrum ex ubere
pendent*

*Elingues pueri (dictu mirabile) vires
Immensas, numenque tuum muto ore fatentur,
Ut taceat victus quantavis concitus ira,
Quantuscunque tui vesanus ruminis hostis.
Ergo tua quoties celsi laquearia cœli
Structa manu, quoties splendentis lumina Luna
Conspectio, & puro radiantes aethere flammæ,
Vab, inquam, quis homo est, quenam est homi-
num ista propago,*

*Quos Deus & cura, & tanto dignaris honore!
Dotibus hunc siquidem ornatum decorisque co-
rona,*

*Insisti superos infra subsidere paulum:
Et manibus quæcunque tuis, immenso, creasti
Illius imperio ac pedibus submissa teneri.*

Stellæ præterea nobis conditionem nostram,
tum præsentem tum futuram repræsentant:
quem-

Cōditio-
nis no-
stræ tum
præsentis
tum futu-
ræ præco-
nes.

quemadmodum Deus Abrahamum alloquitur. Contemplare, inquit cœlum, & stellas, si potes, d. numera: sic erit, inquit, semen tuum: quibus verbis non tantum numerum & multitudinem filiorum Dei, sed etiam statum & conditionem notabat: quæ talis est, ut primum in cœlos euehantur, & in iis collocentur in æternum permansuri: deinde lucidi sint, luminosi, sancti, puri & integri: terrib. S. Spiritu (qui ignis est) impleantur, ardeantque & flagrent amore & zelo gloriæ Dei: tandemque sit eorum cōuersatio in cœlis, & conciuces sint sanctorum, ac domestici Dei.

Aliquoties etiam Deus stellis ducibus vsus Dei gratia. est, quibus ad Christum quidam deducere-
tur: quod ex Magorum ab Oriente aduentantium historia perspicuum est: qui, ut refert D. Matthæus, duce stella ad locum in quo natus erat Christus, perueniunt. Aliquoties etiam Potentiæ exercituum Domini nomine insigniuntur, ut Psal. 148.

Felix turba Patris iussa renuntians

Æternis Dominum carminibus cane,

Et quotcumque Deum cingitis agmina,

Æternis Dominum tollite laudibus.

Solis fulgida fax, ætheris ô decus,

Mundi Luna decus totius alterum,

Ei quacumque polo sidera curritis,

Æternis Dominum tollite laudibus.

Vt doceamur, Deum, quoties ipsi visum fuerit, tantum Imperatorem esse ut possit exercitum omnibus inimicis suæ gloriæ & nostræ salutis

profligandis parem vno momento conscribere, non qualem olim Xerxes, aut Ieroboamus ex duodecies aut octies centenis millibus hominum, sed ex mille myriadibus equitū flammantium, hoc est, ex omnibus stellis & ignibus cœlestibus, quos firmamentum in se continet, quasi milites paratos ad Dei iussa summa animi alacritate exequenda.

Ministri Ministri etiam in sacris sæpe Stellarum nomine notantur, quòd mundi Lucem esse illos oporteat, vt omnibus sana doctrina & bonis exemplis præluceant: vt ex Apocal. clarum est. Sed sæpe contingit, non sine magno Ecclesiarum damno & detrimento, vt quemadmodum Stellæ è Cœlo in terram decidunt, vt apud Matth. 24. scriptum est, ipsi quoque de cœlestibus fiant terreni. Heu verò, quanto cum nostro periculo verum id esse sub Antichristi regno nimium experimur!

Elemēta. A cœlis ad elementorum corpora simplicia deueniamus, inter quæ ordine prior & altior est Ignis, ex eorum Philosophorum opinione qui illū supremo loco, propter eius summam leuitatem & subtilitatem locant. Commoda verò penè sunt infinita quæ ex illo mortales percipiunt. Nam obsecro, quid fieret aurifabris, fabris ferrariis, offectoribus, pistoriis, metallorum excoctoribus, fusoribus, & istiusmodi aliis penè innumeris, ignis vsus si sustuleris? Quinam etiam sine igne commodè vitam degant? Si naturam igitur, qualitates, fines, commoda ad quæ creatus est, inspexeris,

næ

Ignis infinitè hominibus commodus.

na magnam Dei providentiam rebus illis omnibus providentis agnoscemus.

Porro Deus etiam illo, ut ceteris omnibus rebus creatis, extraordinariè ad suos electos tutandos, & contrà ad perdendos adversarios utitur: cuius penè sunt infinita in Scripturis exempla: in quibus ut arbitror, Sodomitaram exemplum maximè est illustre, quos propter horrenda scelera Deus horrendo modo cremari voluit, ut etiam locus ipse in quo fedes fixerant, in lacum sit conuersus, tanti quidem fœtoris, ut etiamnum hodie nefas sit lacum illum vel accedere vel odorari, tantum voluit Deus apud posteros extare horrendæ iustitiæ ipsius monumentum.

Deo utilis ad impios perdendos.

Sodomitis testibus.
Gen. 19.

Insigne aliud exemplum habemus in Elia, ad quem Ochozias morbo laborans Centenarium cum 50. viris misit ut comprehensum ad se adducerent, in quos ignis è cœlo duabus repetitis vicibus decidens, penitus eos absumpsit. David etiam Psal. 18. commemorat Deum in hostes suos ut penitus extirparentur, ignem è cœlo misisse, his verbis,

Ochozias militib.

Nunborum pro eo turbine conditus,

Tranant trepidum aera.

Nigrantes nebulas flammea vis micans

Dirupit medias, mixtaque grandine

Tempestas cuneos funditus hostium

Telis contudit igneis,

Missis terribili fulminibus manu.

Psalmo verò 106. plagam illam memorans quam Deus populo infligerat propter exci-

Israelitis murmuratorib.

dium Core, Dathan & Abiram, & affeclarum
murmuranti, quasi duriter nimis & iniquè ef-
fet cum illis actum, ait,

*Quod terra non ferens scelus
Abiram & Dathanem cum suis
Deglutit tentoriis.
Statimque missus cœlitus
Cœtus semel rebellium
Voravit ignis impios.*

Inimicis
Dei & Ec-
clesiæ.

Psalmo verò II. annon de punitione quæ o-
mnes semel impios manet, loquens, ait:

*Inde prunas, sulphur, ignes, turbineſque
Voluat impetu ruens.*

Ista nanque illis Deus propinat ille,

Qui bonus fauet bonis.

Sed in ignis est inter reliquos & maximè ad
rem accommodatus locus ille apud Dauidem
Psal. 104. vbi Dauid eleganter exprimit rerum
etiam inanimatarum in Dei iudiciis execu-
endis promptitudinem & alacritatem, his verbis,

*Cuius imperiis & huc & illuc
Accinctæ celeres feruntur auræ,
Et vis ignea fulminis coruscæ.*

Nebucad
nezaris
carnifici
bus.

Est & aliud insigne admodum exemplum de
tribus Danielis lociis, qui tyranni mandatis
parère sepiùs quòd recusassent, licet eos & mi-
nis & diroꝝ cruciatuum terroribus adige-
re vellet ad auream quâ crexerat statuam ad-
orandam, & ita ad idololatriam sollicitaret
contra ipsorum officium & contra Dei ex-
pressam inhibitionem, in ardentem ignis for-
nacem projecti sunt, sed ignis vim suam cohi-
ben

bens sic illis abstinuit, vt neque subligacula i-
pforum, neque vestimenta leſerit, immò ne il-
la quidem ignis odor peruaſerit, ſed tamen vi-
ros à quibus in fornacem proiecti fuerant,
idem ignis abſumpſerit.

Magno verò decore Deus ignem affecit, e-
ligens ipſum ex omnibus rebus creatis, vt per
eum virtutes & operationes S. Spiritus nobis
repræſententur, qui ſic interiùs corda noſtra
illuminat & calefacit, vt ignis exteriùs corpo-
ra. Cuius rei locus eſt illuſtris apud Lucam, vbi
narrat poſtquam adueniſſet dies Pentecoſtes,
& Apoſtoli omnes concorditer eodem loco
federent, tum extitiſſe repètè ſonitum è cœlo
tanquam ruentis ſtatus violèti, qui repleuit to-
tam domum vbi erant confidentes, & viſas eſ-
ſe eis diſpertitas linguas inſtar ignis, qui etiam
ſedit ſuper vnumquenque eorum: repletos au-
tem omnes fuiſſe Sp. S. & cœpiſſe loqui aliis
linguis, prout Spiritus ille dabat eis eſſari.

Ignem aër excipit, per quem reſpiramus &
viuimus. Niſi enim magnus ille calor circa
cor æſtuans refrigeraretur vento illo quem in
hunc finem per pulmones attrahimus, vita
conſeruari non poſſet, nec calor ille natiuus à
quo illa pender, foueri: quod primum in aëre
miraculum eſt obſeruandum.

Præterea ſua natura frigidus & tenebrico-
ſus eſt, inter Solem & nos medius, vt eſtum So-
lis nimium quo potiùs adureremur quàm ca-
leſceremus, temperet, & ſplendorem illum in-
gentem quò potiùs excacaremur quàm illu-

Ignis re-
præſentat
S. Sp. eſſe
Ætus.

Act. 2.

Aër.

Corda re-
frigerat,
natiuum
que fo-
uet calo-
rem.

Solis æ-
ſtū tem-
perat.

minaremur, nisi vtrumque aëris inter Solem & nos medij frigore & tenebris temperaretur, vt ita radij Solis aëra penetrantes prius quàm ad nos perueniant, de calore suo & luce naturali aliquid remittant, nobisque tolerabiliore & vtiliores fiant.

A Sole Admirandum & istud est in aëre magno penetratur, quod licet natura tenebricosus, tam est tamē *ἡσυχάζει*, vt Solis iubar illum facili penetraret, & nos irradiet.

Mirū in modum impetuosus. In aëre præterea quoties vel concitatur vel premitur, magna vis & admirandus impetus conspicitur, aded vt vel ipsas arbores radicitus conuellat, magna ædificia diruat, horrendos terræ motus cieat, mare cōmoueat, & iratum, vndis, fluctibus, & sequis procellis ac tempestatibus metuendum faciat. Quod graphicè Dauid Psal. 29. & 107. describit his verbis,

Cuius sonora voce terrificis tonans

Æther coruscat ignibus.

Cuius sonora voce plena gloria

Mundus vacillat territus.

Quis porro vocis huius, huius quis soni

Comprehendat amplitudinem?

Vox hac proceras, Libani decus, cedros

Fragore magno subruit:

Proterua qualis vitula, & unicornium

Lasciniens salu pecus:

Sic Libani, Sirionis altum sic iugum,

Hoc intonante subsilit.

Hac voce ruptis nubibus, trepidum aera

Sulci pererrant ignei,

Anfra

*An fractuosæ murmurantes vallium
 Procul remugiunt specus,
 Pavidisque sætus ante tempus capreis
 Vltro effluentes procidunt.
 Densis opacum nuper arborum comis,
 Repente caluescit nemus:*

Et Psalm. 107.

*Nam simulac iussit, rapidi tota æquora venti
 Ad ipsa tollunt sydera:
 Abripitur pariter ratis & nunc nubila tangit,
 Tumente vecta gurgite.
 Tartara nunc contra præceps contendit ad ima,
 Ipsisque iungitur inferis.
 Forticibus miseri titubant hinc undique nauta,
 Ceu turba nutat ebria:
 Nil artis præcepta iuvant: animique manusque
 Spe destitutis concidunt.
 Clamant, clamantes superum pater audit, &
 istis*

*Angustis mox eripit.
 Æquora iussa cadunt subitò, fluctusque silentes
 Tranquilla lambunt littora.
 Incolumes illi optato se litore condunt
 Miris onantes cantibus.*

Et in hunc sensum David etiam Psalm. 93. ait,
*Terribilis que licet spumis undantibus amnes
 Aggeribus cumulo rapientes omnia rupis,
 Æquora que immanes caloructantia fluctus,
 Voce tonans rauca frenat, nutusque coercet
 Longè alias procul insurgit quum totus in iras
 Horresco quatens calumque salumque tumultu.
 Ex quibus agnoscimus res omnes creatas, quã-*

D. j.

tumuis sæuas & efferas à Dei nutu pendere, & sub eius imperio esse ac potestate, vt iis ad quodcunque voluerit opus, siue seruandis iis qui in ipso spem suam collocant, siue perdendis impiis aduersus nomen eius blasphemis vtatur: Et quanuis in magnas iras efferbuerint, solo tamē ipsius verbo frangi & ita coerceri vt nulla furoris appareant vestigia.

Pluuias
& rores
suppedi-
tat.

Nec verò silentio prætereundum est ex aëre nobis thesauros illos ingentes rorum & pluuiarum prouenire, quibus terra per se arida, rigatur & diluitur & ita fœcudatur vt semina quæ sinu eius continentur & fouentur, puta hordecum, frumentum & cætera, germinant, crescāt & fructum ferant, quod & ipsum Dauid Psalm. 65. sic enarrat.

*Turra ex folio despicias aureo,
Et roris saturas calitus imbribus,
Vt sic omnigenis fructibus affluens
Tellus agricolam sollicitum breet.*

*Plenos iussa pluunt nubila riuulos.
Nec curare prius tot sata desinis
Demesse steterant quæ segetes prius
Quin fiant hominum corporibus dapes.*

*Tellurem siquidem largus inebrians,
Parère agricolis sic madidam iubes,
Fœcundæque facis prole resurgere
Quæ commissa sinu semina continet.*

*Anni sic abeunt, sic redeunt tuis
Dites muneribus, quæ superiûn domo
Dum tu summe Pater celsus inambulas,
Terra munificus per sola depluis.*

Perfusa

*Perfusa his resonant imbris undique
Anfractus posita per nemorum caesa.
Huius quin etiam participes boni,
Colles ista procul gaudia nuntiant.*

Contra verò nonnunquam accidit, ut aër pug-
nans pro populo Dei, in hostes quos Iosue <sup>Pugnat
pro Ec-
clesia.</sup>
persequeretur, grandinis lapides iaculatus sit,
quibus longè plures obruti sint fugientes,
quàm Iosue & militum quibus stipatus erat
armis caesi. Quod certissimum est indicium res
omnes creatas, etiam inanimatas ad populi
Dei defensionem, & inimicorum eius interne-
cionem, quotiescunque Deus iusserit, armari.

In aère praterea est observandum, nobis
Spiritus Dei quodammodo imaginem exhi-
beri, quem Scriptura plerisque locis Ventum
appellat: veluti quum Moses opera creationis
recensens ait, Spiritum Dei incubasse superfi-
ciei aquarum. & S. Iohannes de Dei Spiritu
loquens, & ventum vocans, ait, Ventus quò
vult spirat, & sonum eius audis, sed nescis vn-
de veniat & quò vadat: ita est quisquis genitus
est è Spiritu. Et alibi, Dei Spiritum represen-
tat per flatum ab ore Christi emissum, qui quum
à resurrectione cum discipulis fuisset, sic eos
còpellavit, Pax vobis. Sicut misit me pater, ita
& ego mitto vos. Et quum hæc dixisset, affla-
vit eos, & dixit eis, Accipite Spiritum sanctum.
Et Lucas de Spiritu S. loquens, vèto eum com-
parat, quum ait, die Pentecostes Apostolos in
vnum coactos fuisse, & tum repente sonitum è
cælo extitisse tanquam ruentis flatus violenti,

D. ij.



quo tota domus vbi erant confidentes repleta est.

Sic etiam Dauid quæ diximus suo comprobans calculo, dicit, Psalm. 33.

*Huius ad vocem semel intonantis,
Exstitit celi fabrefacta moles,
Et simul totus micuit coruscans
Ignibus æther.*

Cur Sp. S. vento comparetur. Venti verò nomen Spiritui S. tribuitur in facris propter maximam similitudinem signi & rei signatæ. Nam veluti ventus subtilis est & vehemens, sic multo subtilior est & vehementior Dei Spiritus, à quo ad omne bonum opus impellimur, & in nobis boni & sancti motus, siqui sunt, efficiuntur. Nam sine illius ope, natura nostra duce nihil boni cogitare, imò ne expetere quidē possumus: atque adeo ad laudes Dei canendas, & nomen eius Sanctum celebrandum prorsus inepti sumus.

Aqua.

Humectat & nutrit terram.

Iam verò tempus est vt de Aqua loquamur, quæ tertium est elementum. Hæc in terræ venas influens, fluuios, fontes & riuos efficit, qui tanquam per aquæductus & canales huc illuc ad terram humectandam & irrigandam deducuntur, quæ alioqui propter frigiditatem & siccitatem prorsus esset sterilis, & ferendis fructibus inepta: fontes verò, fluuij & riuuli qui per totam terram effunduntur, sunt illi mammarum instar quibus foetus lactet & nutriat: Quod Dauid etiam prædicat Psalm. 107.

*Hic bibulis contrà fontes educit arenis,
Desertaque madidat sola:*

Infra-

*Infamēſque fame campos mortalibus implet,
Vrbis frequentis incolis.*

Et Pfalm. 104. Propheta Deum ipſum compellans, ait, in hanc ſententiam.

*Hic eſt imperio potente cuius,
Canis undique vallium ſalebris
Exorta fugiunt per arua lympha.
Hinc leuant pecudes ſitim moleſtam,
Hinc potant onagri ſiticolofi:
Hic ſedens animum genus canorum
Virenti latet arborum ſub umbra,
Et garritibus aërem fatigat.*

Quibus adde quæ cœptum ſermonem perſequens de aquis in aëre pendentibus ait,

*Tu, tu, inquam, Pater ô benigne, cœli
Pennæ ex diuite depluis be atos
Collium in iuga fructuoſa rores:
Et quæcunque avidus metit colonus
Tua munera liberalitatis.*

*Hinc fœnum pecori benigna tellus,
Hinc flauam ſegetem, ah nimis nimisſque
Duro vomere ſauciata, præbet:
Hinc vini liquor ille tam ſuauiſ,
Qui curas abigat ſeuēriores:*

Quantum verò eſt & quàm admirandum iſtud In aere opus, aquas natura ſua graues & fluidas, ac pendens. proinde deorſum ſpontaneo ſuo & naturali motu tendentes, in aëre contra naturam ſuſpēſas retineri, quò rigandæ terræ, & ſeminibus educendis inferuiant? Quod ipſum etiam Dauid nequaquam ſilentio præteriit, Pfalm. 104. dicens,

D. iij.

*Cui palatia fornicata præbent
 Suspensi liquidi aëris procellæ:
 Qui curru æthereo tonans liquentem
 Celsis aëra nubium quadrigis,
 Ventorum rapido impetu pererrat.*

Commo-
 da diui-
 tiarum
 ex mari.

Quibus omnibus si animalium penè infinito-
 rum, siue spectes varietatem siue quantitatem,
 addideris considerationem, & mercatorum ad
 mercaturam faciendam nauibus maria tra-
 nantium multitudinem, cequis erit tam hebes.
 tam stupidus, tam denique plumbeus, qui illa
 suspiciens non rapiatur in admirationem,
 imò penitus ad tantum miraculum non ob-
 stupefcat. Qua de re Dauid verba facit, eodem
 Psalmo.

*Et quacunque etiam maris vorago
 Terræ littora plangit æstuosa,
 Latè squamigerum genus natantum
 Fœcundas leue ludit inter undas:
 Hic gens magna natat, natat minuta:
 Hic vinctæ pariter volant carinæ,
 Hic immania collocata cete,
 Magno illudere quæ mari videntur,
 Quum totum Oceanum ratesque vertunt.*

Aquæ Deo pa-
 rent. Magnum etiam exemplum obedientiæ nobis
 in aquis exhibetur, in eo quòd volèti Deo ter-
 ram nudare vt hominum vitæ & commado
 inferuieret, statim ac iussæ sunt in locum suum
 se recipere, sine mora, dicto eius fuerunt obe-
 dientes. Quod etiam Dauid agnoscit eodem
 Psalmo loquens de terra & aquis, quibus antè
 velut obruta tegebatur.

Testis
 creatio.

Terram,

Terram, inquam, undisoni maris procellis
 Velut regmine prorsus obuolutam.
 Nam quæ nunc resonat, grauique planctu
 Terræ litora tundit Amphitrite,
 Latè olim spatium orbis obtinebat,
 Et montes, licet ardui, profundis
 Toti fluctibus obruti natabant.
 Hic cum terribili increpatione
 Frænavit maris æstuantis undas:
 Quod surdum licet, attamen sonoras
 Audivit simul ac minas Tonantis,
 Percussum subito omne conquieuit.
 Tum verò trepidis repente ab undis
 Moles surgere montium videres
 Et valles quoque subsidere curvas:
 Donec littoribus suis retentum
 Fixo limite clauderetur aquor:
 Quas, ut cunque furens eat ruatque,
 Sit nefas tamen exilire metas.

Et Psalm. 77. in eandem sententiam de aquis Testis
 loquens quæ populo Israëlítico ex captiuitate Aegy-
 Ægyptiaca liberato viâ facturæ diuisæ sunt, ptiaca li-
 beratio.
 ait,

Tuum tu populum, satam Iacobo
 Iosephoque propaginem potente
 Sola quippe tua manu eruisti:
 Te vidit mare, vidit & profundo
 Tremens gurgite palpitavit aquor.

Et Psalm. 114. Dauid in hanc eandem senten-
 tiam prædicans magnam Dei potentiâ & pro-
 uidentiam, in populi liberatione ab Ægyptia-
 ca seruitute, & in Chananitidem introductio-

D. iiij.

ne, ait difertis verbis in illo Psal. quem in hunc finem composuit, vt nimirum tantum Dei beneficium erga suum populum prædicaret.

Israël Egypti ingrata quum linqeret arua,

Gentisque regna barbare,

Tum sibi Iudeam numeru sacravit, & huius

Se prodidit gentis ducem.

Vidit & aufugit trepidum mare: refluxus amnis

Aquas retrorsum rettulit.

Subsilîere ipsi montes, per pascua lata

Salire vt arietes solent.

Subsilîere iidem colles, sub matribus agnos

Salire quales cernimus.

Et sub finem ita concludens, ait,

Ante Dei tellus tremuisti scilicet ora,

Potentis Isacidum Dei.

Flumina cui rigida fudêre ingentia cautes,

Et rupta stagnauit silex.

Aqua ex
rupe ex-
siliens.

Sed insigne in primis habemus exemplum aquarum Deo obedientium & auxilium populo in angustiiis collocato adferentium, in eo miraculo, quo Moses ex Dei mandato percussa petra, tantam copiam aquarum eduxit, vt deinceps populus nec sibi nec suis gregibus metuerit aquarum penuriam. Sequebantur enim illum in deserto, quocumque populus pergeret. Cuius etiam meminit Paulus, de patribus loquês, quos dicit eundem nobiscum potum, spiritualement nimirum, bibisse. Nam, inquit, de petra spiritali bibebant quæ sequebatur eos, petra autem erat Christus. Quod & ipsum Dauid commemorat Psalm. 78.

Deserti

*Deserti abruptit cautes, immania saxa.
Terrarumque ima veluti de sede citatus
Profiliit torrens percussa ex rupis hiatus,
Vnde sitim arctes populi pecudesque leuarent.*

Aquæ præterea Deo suam operam egregiè in Diluuii.
conseruando eius populo & hostibus ipsius
submergendis & extirpandis nauauerunt. Vt
scribit Moses de diluuiò, quo fuit omnis ani-
ma viuens radicitus extirpata, præter Noacum
& eius familiam, qui tum Ecclesiæ corpus e-
rant, quam velut humeris aquæ in arca effere-
bant præsentì eripiendam periculo, tantisper
dum impios submergentes enecabant.

Mare etiam rubrum insigne est eiusdem rei Pharao-
nis sub
mersio.
documentum, quod in duas partes scissum est,
vt pedibus illud Dei populus traiceret, sed in
eo Dei hostes absorpti submergerentur: quod
etiam ait Dauid Psalm. 78.

*His siquidem fissum cecidit gradientibus aquor,
Viringue in murum firmis surgentibus undis:
Nubibus hinc tectos feruenti solis ab aestu,
Et duce per noctis tenebras fulgore corusco
Per medias Arabum saluos traduxit arenas.*

Et Psalm. 106.

*Iussa aruerunt aquora,
Tuæq; ceu per aridos
lêre campos copia.*

*Sic hoste prorsus gurgitis
Aquis profundis obruto
Nullòque iam superstite,
Potente, mi Deus, tuos
Tu liberaisti dextera*

Hostis ferocis è manu.

Laudare te nunc Israël,

Tibi que totus fidere.

Quæ mox fides euannit.

**Aqua san-
guinis
Christi
efficaciâ
in me-
morian
reuocat.**

Magnum verò fuit mysterium aqua, è Christi iam mortui latere sanguine mixta effluens, quum à quodam ex militibus eius apertum lancea fuisset latus. Id enim nobis virtutem & efficaciâ huius sanguinis significat, quo corda nostra & conscientia ab omnibus maculis eluuntur, quum tamen proprium sit sanguinis cuiuslibet animalis, vt quicquid attigerit potius scædet conspurcetur quàm eluat.

**Peccato-
rum re-
missionē
& rege-
neratio-
nem.**

Denique aqua in baptismo signum est quo repræsentatur nobis, hinc quidem Dei gratia, peccatorumque nostrorum remissio, qua ipsi reconciliamur, inde verò Spiritus S. virtus & efficacia, qua sic regeneramur, vt idonei fiamus ferendis fructibus iustitiæ in sanctificationem.

Terra.

Tranſeamus ad terram, theatrum ingens in quò magni illius numinis infinita & rara eâque eximia & illustria prouidentia, bonitatis, potentia & sapientia spectacula contem-
mur & agnoscamus. Ac primùm quidem, tanta moles, tam vasta & pôderosa in medio sus-
penſa mundo, tanquam eius centrum & cir-
cunferentia, subsidet, nullis aliis suffulta co-
lumnis aut fundamentis naturalibus, quàm a-
qua & aëre, elementis duobus liquidis & pel-
lucidis, quæ ne lapillum quidem tulerint quin
à superficie deorsum in fundum feratur. Quod
admiratus Dauid, ait Psalm. 24.

Et terra

*Et terra, & terra quicquid complectitur orbis,
Et orbis omnes incola,
Imperio subsunt Domini: namque ille potente
Terram creavit dextera:
Inq; maris medio tutam stabilivit ab unda
Circumsonantis impetu.*

Et Psalm. 136.

*Qui circumfusus terras expandit in undis.
Nanque est perennis ipsius benignitas.*

Admiratione verò in primis istud est dignissimum, quòd quum sit rotundum corpus, & solis duobus illis suprà memoratis elemētis suffultum, aëre & aqua, immobile tamen perstat: quod ipsum Philosophi vnà cum experientia docēt. Quod & Dauid admiratus, ait Psalm. 104.

Licet rotunda, tamen firma.

*Terram pondere qui suo imperauit
Libratam medio insidère puncto,
Molis pondera nulla sentientem:
Terram, inquam, undisoni maris procellis
Velut regmine prorsus obuolutam.*

Admirandum & illud est, quòd aqua aliqui liquida, & facilè se ipsam diffundens, vel si guttula in orbem equissimum deciderit, quum totam penè terram quæ rotunda est, ambiat, suis tamen continetur limitibus, nusquam se in patentes agros diffundens. Cuius rei quis aliam rationem attulerit, non magis quàm eius firmitatis & foundationis, quàm potēs Dei verbum, quod, vt ait Apostolus, omnia sustinet? Quod & nos Dauid Psalm. 104. docere voluit, quum ait,

Donec littoribus suis retentum

Fixo limite clauderetur equor:

Quas, utcumque furens eat ruitque,

Sit nefas tamen exilire metas.

Fœcunda Fœcunditatem verò terrę quis non magnomirū in pere suspiciat, quòd infinitos annuos fructusmodum, variarum specierum edat & producat, varijetiam ad gustus, variæ formæ, varij odoris & coloris, &voluptatem. eos non quidē tantū ad hominis vtilitatem& commodum, sed etiam ad delicias, delectationem & sensuum voluptatem? Quòd si contingat eam nonnunquam vel sterilem esse, vel spinas & carduos producere, nā istud est non tam illius quàm nostrę sterilitati acceptum ferendum.

Sterilitatis terrę causa.

Nam si bonorum omnium operum feraces essemus, si ex officio Deum coleremus, laudibus efferremus, mandatis eius obsequētes essemus, si denique terram, ut nostra fert vocatio, seduli & laboriosi excoleremus, nā terram, etiam cum fœnore non contemnendo labores nostros & sudores compensantem experiremur.

Terra bonorum omnium prodiga.

Quid verò de illa immensa liberalitate dicam, quam penè prodiga in homines, bestias tum feras tum domesticas, in arbores, herbas & plantas effundit, omnia illis necessaria prouidens, victum, alimenta, vestitum, tegumenta, domicilia, latebras: & ut vno dicam verbo, quicquid opus est, abundè suppeditans?

Hospita.

Nec leuiter istud præterierim, terram pauperculum esse quod calcamus, in quo dormimus & quiescimus: adeò ut quocumque oculos conuerta-

conuertamus, semper illa nobis obuersetur, vt vnde ducamus originem, & quo loco nati sumus nobis in memoriam reducat, nempe omnium elementorum humillimo, quò saepe illud in memoria versantes magis magisque deiciamur, & cum patre nostro Abrahamo, nos nihil nisi puluerem & cineres esse agnoscamus.

Cōditio-
nis mō-
nitrix.

Terra etiam suos incolas quum deuoret & absorbeat quando impietati student, quod Core, Dathano & Abiramo & eorum asseclis contigisse ex sacris agnoscimus, propterea quòd à Mose & Aarone fidelibus Dei seruis deficientes aduersus eos arroganter insurrexissent, obseruare nos docet eius etiam vt cæterarum omnium rerum creatarum promptitudinem & alacritatem in Dei iudiciis aduersus sceleratos exequendis, & quanto horrore scelus eorum detestetur.

Impios
vorat &
absorbet.

Denique in terra communi omnium hominum parente summam humanitatem obseruare nos operæ pretium est, quæ in eo maxime elucet, quòd quum omnibus suis bonis nos in hac caduca & corporea vita cumularit, eadem etiam post hanc vitam corporum nostrorū custos fiat, & ea sinu velut excepta foueat & in vltimum vsque resurrectionis diem sarta recta referuet, quo die, ad vocem Archangeli & tubæ sonitum, omnia suscitata Christo exhibeat, ab ipso singula secundum bene aut male gesta in hac vita receptura.

Corpora
sinu suo
fouet vl-
timo die
restituē-
da.

Superest vt postquam de elementorum quæ Ab ele-

mētis in simplicia sunt corpora proprietatibus pau-
 quibus cis differuimus, de mixtis & compositis ali-
 Dei pro cis quid etiam attingamus, initium facientes ab
 uidentia homine, omnium Dei operum principe, &
 confide- capite: Nam quum Deus reliqua omnia nudo
 raut, ad & simplici verbo suo velut obiter creasset, ho-
 mixta & simplici verbo suo velut obiter creasset, ho-
 corpora minē formaturus cum filio & Sp. S. delibera-
 transit. ac uit, inquiens, Faciamus hominem ad nostram
 primum imaginem & similitudinem: qui dominetur in
 agit de pisces maris, & in volatilia cæli, & in iumen-
 Homine. ta, & in vniuersam terram, atque in omnia re-
 Homo ptilia reptantia super terram.

ad Dei i- Et sanē, non exiguum opus est homo, si illud
 maginē suē in anima ipsa, siue in corpore diligenter
 creatus. examinemus. Nam obsecro, quā admiranda
 Corpore & anima res est in anima humana, Mens, qua res singu-
 constans. las concipit & apprehendit, & singulis inter
 Anima se collatis, ea sigillatim apud se voluit, dispicit
 egregiis & ratiocinatur, donec tādē ex iis vtilēs con-
 faculta- clusiones eliciat, quibus ad vitam rectē inti-
 tibus pre- tuendam, consilioque & ratione regendam v-
 dita, nē- tatur: Sed potissimū in rebus quæ ad Reip.
 pe Men- administrationem pertinent?

Volunta-
 te.

Quantā item est & quā magna altera illa
 facultas animæ, Voluntas, quæ a mente infor-
 mata, & instructa, reliquis etiam partibus &
 mēbris corporis rectē sapienterque imperat:
 vt singula rectē & alacriter incedant, & fide-
 liter diligenterque suum officium: exequātur?
 Quæ præterea Legis diuinæ perita, hominem
 à vitio retrahit, & hortatur perpetuò, vt se-
 riò virtutem amplectatur, Deum amet, timeat,
 colat,

colat, eius præceptis morē gerat, ab eius providentia totus pendeat: in omnibus operibus laudet eum & glorificet, nomen eius sanctificet, denique totum illi sese consecret ac dedat: Deinde ut proximum tanquam se ipsum diligat, ius suum cuique reddat, officiosum denique se omnibus pro virili præbeat:

Quanta item vis est tertiæ facultatis animæ, Memoria est, quæ homini est, quod foro vel curiæ Tabularium, in quo sententiarum, reconciliationum, decretorum & cæterorum istiusmodi actuum publicorum literæ referuntur: Sic in memoria conseruantur imagines rerum quas per sensus apprehendit, tam certo etiam ordine dispositæ ut ea quibus indiget, statim inueniat: quemadmodum industrius & vigilans procurator sic in Musæo lites quasque suo ordine disponit, ut sine labore in quancunque voluerit, incidat.

Admiratione summa etiam digni sunt varij motus quos Anima eodem tempore, in diuersis corporis partibus efficit, putà visum in oculo, auditum in aure, odoratum in naso, gustum in lingua, respirationem in pulmonibus, concoctionem in stomacho, in manibus operationem, in pedibus ambulationem, quas omnes operationes sæpe vno eodémque momento, licet inter se magnopere differētes, efficit.

Nec minus est admiranda in sensu & impressione quam de rebus penè omnibus per organa sensuum recipit, qui tanquam nuntij hinc inde noua de rebus omnibus illi referunt.

De variis
animæ
mirandis
motibus.

Variis
sensibus.

Capax
memo-
riæ est.

In fide-
li-
bus in-
staurata.

Corpus
artificio
nulli imi-
tando cõ-
positum
est.

Nec minorem admirationem eius capacitas meretur, quòd est omnium artium scientiarumque capax & susceptibilis. O ingentem pulchritudinem qua prima eius creatio fuit insignis, in primorù parentum personis, quam prius amissam vel saltem magnopere obscuratam & oblitteratam dignitatem nō modò pristino splendori Christus restituit, sed lōgè maiori exornauit, iustitia sua & sanctitate fideles decorans quæ infinitis partibus ipsorum Angelorum iustitia & sanctitate sunt, perfectiores.

Corpus verò, tanto constructum est artificio, & tam exquisita architecti arte compositum, vt Galenus ipse, licet Ethnicus, in anatomic, & corporum humanorum dissectionibus, formam, pulchritudinem, vsum, commoditatem, necessitatem, & finem denique cuiusque partis ex qua corpus conflatum est, cōsiderans, in admirationem raptus, obstupe scat. Quod ipsemet abundè testatur libro tertio quem scripsit de vtilitate partiũ, cuius hæc sunt verba. Tractatum hũc scribo, tanquam hymnum & laudem, quam ei à quo creati formatique sumus dico & consecro: & hanc puto veram esse quam illi debemus pietatem, verum & purum quem illi debemus cultum, nō autem hecatombas, non thuris aliarumque odoratarum herbarum suffitũ: sed potius si ego prior agnoscam & aliis deinceps immẽsam eius sapientiam, potentiam & bonitatem prædicem. Nam res omnes proprio & conuenienti cuius
sint

sint capaces, ornamento decorare, & nihil per invidiam ipsis detrudere, nec bonum vllum ipsis subducere demonstratio est summæ bonitatis: qua in re potissimum eius erga nos bonitatem prædicare debemus. Sed modum & rationem inuenire qua res singulæ suum consequantur decorem, signū est magnæ sapientiæ: quicquid verò proposueris & decreueris, perficere, inuictæ fortitudinis & virtutis indicium est.

Non sine magna igitur ratione veteres hominem μικροκοσμος dixerūt. Nam in illius structura & fabrica Deus non minora suæ sapientiæ, bonitatis, potentiæ & prouidentiae, quam in reliqui totius mundi compositione & architectura testimonia dedit. Itaque quod ex veteribus quidam dicebat de Roma loquens, eam mundi Epitomen vocari meritò posse, longè melius & verius de homine diceretur, si per allusionem eum diuinorum operum Epitomen aut Compendium vocauerimus. Quis igitur ampliùs miretur quòd Deus illum in templum & habitationem elegerit, aut illi felicitatem Diabolus inuiderit, & liuore detestando omni ex parte præcipitem dare conatus sit: aut quòd tam charus Dei filios fuerit, vt eum ex misero in quem à Satana præceps datus est statu subleuaret, tandèmq; iustitia sua opertum, tam arcto se illi vinculo cõiunxerit: Quod magnificè David 8. Psalmo prædicat, dicens,

Ergo tua quoties celsi laquearia cœli

E. j.

Comme-
nienter
admodū
sumptuo-
sus di-
ctus.

Operum
Dei Epi-
tome di-
ci potest.
Satanae
exosus,
Filio Dei
charus.

*Structa manu, quoties splendentis lumina Luna
Conspicio, & puro radiantes aethere flammæ,
Vah, inquam, quis homo est, quanam est homi-
num ista propago,*

*Quos, Deus, & cura, & tanto dignaris honore!
Dotibus hunc siquidem ornatum decorisque co-
rona,*

*Insuperos infra subsidere paulum:
Et manibus quæcunque tuis, immense, creasti
Illius imperio ac pedibus submissa teneri.*

Et Psalm. 144.

*Ecquid enim tanto cur nos digneris honore
Mortales miseros commervisse putem?*

*Mortales quibus est eben nil vanius usquam,
Et fugiunt quorum ceu levis umbra dies?*

Cur in
hoc tra-
ctatu ni-
hil de ho-
mine &
creaturis
nisi in ge-
nere di-
catur.

Diximus de homine paucis, & obiter dotes
quibus à Deo exornatus est attigimus. Nam si
quis plura nosse expetet, eorum libros con-
sulat, qui de hac re disertè tractarunt & libros
integros conscripserunt. Equidem istud opus
in præsentia minimè suscepi, ut quæcunque de
singulis rebus creatis eximia dici possent, sigil-
latim expendere: quod si quis tentarit, ad dūa-
tū illi fore existimo. Adde quod professionis
meæ fines istud egreditur, qui hoc vnum ago
ut lectoribus gustum aliquem iniiciam huius
tractatus de diuina prouidentia, & ad eam in
omnibus rebus creatis contemplandam eos
horter, & persuadeam ipsis nulla re se posse
magis ad cognitionem & timorem Dei, fi-
dēque quam in illo collocare debent au-
gendam confirmandamque, quā harum re-
rum

rum frequenti meditatione iuuari.

Ab homine tranſeamus igitur ad animalia, in quibus, vt in cæteris rebus omnibus creatis, euidenter apparet Dei prouidentia. Ac primum quidem in ſpeciebus eorum penè infinitis, quarum omnium forma, facies, proprietates, alimenta, & finis plurimum inter ſe differentes. Quauis verò hodie inter beſtias alia feræ ſunt, alia domeſtica, nulla tamen in iis eſt quam homo ſua induſtria non conuertat in ſuum uſum, & ad priorem illam obediẽtiam ad quam ab initio fuerant à Deo creatæ, non reuocet, non ſecus ac ſeruum fugitiuum herus ſi forrè in illum inciderit domum ſuam etiam reluctantem reducit.

Et fanè hominis lincamenta & veſtigia imaginis ſimilitudinisq; Dei in illo adhuc reliqua, & authoritas illa quam à Deo creatus acceperat in omnia animalia, videntur præcipua cauſa timoris illius quo ad vocem & præſentiam hominis animalia quantumuis fera adhuc hodie contremiſcunt.

Eſt & aliud quiddam in animalium creatione magnopere conſiderandum, quæ momento, voluntatis diuinæ actu & motu vñico (vt ita loquar) cum omnibus ſuis partibus & naturalibus inclinationibus creata ſunt. Ex quo apparet, opificem in ſeiſpo harum omnium rerum ideam & exemplar habuiſſe: quemadmodum architectum videmus ædificium aliquod molientem, totius operis & ſingularum eius partium delineamenta facere prius quam

Animalia teſtes diuinæ prouidentia.

Species eorū innumeræ & differentes.

Homini ſubdita.

Creatio quorum Dei ſapientiam & prouidentiam commendat.

E. ij.

fundamenta iaciat operis, quod non vno momento conficit, sed longo tempore, & magno labore, magnóque operarum sudore, quibus ad opus suis partibus absoluendum vtitur: Cōtrā verò Deus sine opificis vllius auxilio, sine labore, vno momēto tot tātāque omni ex parte perfecta opera & suis absoluta numeris perfecit. Sed quod maius est, & maiore dignū admiratione, illa Deus animat & viuificat, motum & sensum indit: quorum omnium in illis ipsis principium & causa residet: Quod nulli sculptores, nulli statuarij, aurifabri, pictores, nulli denique artifices vnquam effecerint, qui egregia quidem opera, sed inanimata & sine vita, sensus omnis expertia fabricant, mortua denique, vt de idolis propheta loquitur, Psalm. 115.

*Ora quibus, sed muta: quibus sunt nescia lucis
Lumina, neutra vllis auris aperta sonis.*

Vestimē
ta, arma,
industria
magis ac
magis
Dei pro-
uidentia
patefa-
ciunt.

Obseruari præterea potest in animalibus diuina prouidentia, in eo quòd in lucem prodeuntia tribus semper rebus instructa sunt: vestitu, armis quibus se tueantur, & industria, ad victum necessarium indagandum. Alia enim pellibus vestita, alia plumis recta in omnem ipsorum vitam conspiciamus. Arma verò ipsorum, sunt vel cornua, quæ alia in frōte gerunt, alia in pedibus, vel dentes quos habent acutos vel adunci vngues quos inter eundem cōtrahunt, ne forrè vsu retundantur. Alia validis septa sunt munimentis, alia rostris & vnguibus instructa: alia denique venenum in aggressiores

Quā-
præstent
hominibus.

fores suos iaculantur. Quæ quum sint omnium oculis conspicua, quid exemplis opus est? Industria quodd attinet, ecquis non videt quoduis animalculū quantumuis paruum, quāuis aui- culam, quā primū in lucē, exiit victū iam indagare? Aspice gallinarum & perdicum pul- los, qui vix testā egressi, terram victū queren- tes scalpunt. Solus homo, miserculus, ē matris vtero nudus in lucem venit, debilis, infirmus, fragilis, membrorum vsum nullum habens, lacrymabundus, querulus, gemebundus, mi- serix suæ futuræ præco: sanguine quasi ex la- tronum manibus elapsus, conspersus & fœda- tus. &, qui malorum cumulus est, velut capti- uus, falsciis ligatur & obuoluitur. Qua in re videmus quā sit ceteris animātibus inferior, & quā deterior sit illius quā bestiarū con- ditio, quum illę suis egressæ nidulis, aut lustris, victum quæsituræ passim cum omni libertate discurrant.

Est & in animalibus istud obseruandum, a- Anima-
lia creata
sunt in
hominū
commo-
dum.
lia à Deo creata in hominum vtilitatem, & adiuumentum, vt sunt priuata & domestica, alia ad venationis exercitium, vt feræ: alia ad vigi- lantiam eorum excitandam, cuiusmodi sunt, lupi, vulpes, & cætera istiusmodi: alia denique ad voluptatem & recreationē, putā simiarum varia genera. Et ita Deum in animalium crea- tione, non tantū de necessariis rebus homi- bus prouidisse, sed etiam vt rebus creatis cum voluptate & delectatione vterentur, voluisse. Exempla

In animalibus præterea considerandum est, sunt ca-

E. iij.

statis &
sobrieta-
tis.

Cogni-
tionis.

Deum nobis exempla castitatis & sobrietatis proposuisse, Mas enim à se grauidatam fœminam non attingit donec fœtum suum ediderit. Et sumpto cibo satiata quiescūt, contenta vitę tütandę causa famem expleuisse. Quod non fit ab hominibus, qui gulę ventriq̃ue dediti, tam immoderatę comessationibus & compositionibus indulgent, vt ex iis maxima ex parte morbi eorum proueniāt mōrsq̃ue ipsa tandem sequatur. Sed in animantibus quiddam est quod admiremur, summo cū hominis dedecore coniunctum, quodd nimirum pro sua natura & captu, vitę suę authorem & mediorum quibus illa conseruatur agnoscunt, quod ex eo perspicuum est quodd in omnibus necessitatibus ad eum tanquam bonorum omnium fontem respiciunt, vt Dauid Psalm. 104. docet his verbis,

*Nempe à te Pater ista cuncta pendente,
Nam plena hac saturas manu benignus.
Quodd si contrà oculos sereniores
Fortè auerteris, ecce mox fatiscunt:
Quin & ipsam animam tibi petenti
In lutum reductura mox reponunt:
Dein rursus veluti prius sopitas
Tibi quum libet excitare vires,
Succedit veteri recens propago,
Et mundi decus alterum resurgit.*

Et Psalm. 145.

*Pondere oppressos retines labantes,
Surrigis curuos, dapibúsque largis
Pendulos abs te reficis decenti*

Tem-

Tempore cunctos.

Namque tu dextra saturas aperta

(Sic tibi visum Deus ô benigne)

Vspiam quicquid fruitur tributa

Lumine vita.

Et Psalm. 147.

Inde larga bestiis

Qui ministrat pabula:

Quin nec ipsos cornulos

Matribus spretos suis

Crocientes deserit.

Et quòd acceptorum à Deo beneficiorum
bestiæ memores ac minimè ingrata Deum
laudibus efferunt & glorificant. Quod Dauid
etiam docet, eas ad persecrantiam, his verbis,
hortatus,

Æternis Dominum tollite laudibus,

Montes aeris nubibus amuli,

Colles pampineis frondibus obsiti,

Incurva omnigenis fructibus arbores,

Cedri nubifero vertice nobiles:

Errantes pecudum cornigeri greges,

Dispersa nemorum per latebras fera,

Terrarum colubri sepositi canis,

Et quotquot volucres aera finditis:

Terrarum domini denique principes,

Et plebs imperiis subdita principum,

Cuncti, inquam, procures, iura quibus datum

Sublimi è solio reddere gentibus. &c.

Maximè etiam conspicua est Diuina prouidentia erga omnia cuiuslibet speciei animalia, in eo quòd nec serunt, nec metunt, & nihil

E. iiii.

Aliud in-
signe te-
stimoniũ
Dei prouidentia
in anima
hum cu-
ra.



in horrea congerunt, & tamen singula victum ad vitam necessariū quasi dapes repositas nanciscuntur: atque adeo ferae ipsae rapto viucentes, & quas nemo non venatur aut infectatur, & quae in densissimis syluis & antris delitescere ob metum hominum coguntur, tamen per Dei prouidentiam in victum sustentandae vitae commodum incidunt. Quae quum ita sint, an non obsecro, pudore suffundi oportet homines, quos diffidentia transuersos sic agit, vt nisi frumento plena sint horrea, vino cellae vinariae, & carnibus penus refertae sint, & praeterea congestos auri argentique thesauros habeant, metu ne victus ipsos vestitusque deficiat examinentur?

O detestandam & modis omnibus abominandam diffidentiam. Siccine verò homines à Deo electos, vocatos & iustificatos, receptos & adoptatos in suam familiam, imò in filiorum numerum ascitos, supra quos est nomen eius inuocatum, ad quos pertinent Dei promissiones & foedus, à quo sunt in eius protectionem recepti, quibus exemplorum numerus penè infinitus ob oculos quotidie obuersatur, quibus tū de singulari eius erga ipsos amore, tum de ingenti cura & sollicitudine quam de ipsis & rebus eorum regendis gerit, fiant magis ac magis certiores, tam ingratos esse vt maiorem spem in donis collocet quam in eorum auctore qui tanta liberalitate illa in

Diuinae eos effundit:
prouide-

Quae quum in genere de animantibus & rebus

bus quæ in illis de providentia diuina dignif-
simæ sunt obseruatu dixerimus, iam ex sermo-
nis nostri instituto ad eorum singulas species
transeamus, vt Sacras scripturas legentibus
authores simus, ne quæ de illis in sacris com-
memorâtur, temerè præteruolent: sed attentè
proprietates & naturas animalium, quorum in
illis sit mentio pensitent & examinent: & fi-
nem in quem eorum exempla nobis proponū-
tur perpendant. Nec enim instituti nostri aut
professionis est, hanc materiam exactè pertra-
ctare, quod olim patrum temporibus quidam
aggressi sunt, inter quos maximè sunt insignes
Plinius & Aristoteles: & inter modernos, Ge-
snerus, Rôdeletius, Belonus & alij. Mihi verò
satis est vestigia Christi, Prophetarum & Apo-
stolorum sequi, & simpliciter comparationes
& similitudines familiares quas de bestiis &
plantis sumpserunt attingere, vt homines ad
virtutem impellam, & ad officium excitem, à
vitio & ab iis omnibus quæ professioni eorum
repugnant, deterream.

Faciam igitur initium à Boue, animali pi-
gro & tardo, qui etsi & corpore & ingenio
tardus videtur, satis tamen testatur se inge-
nio superiorem esse homine, in eo quòd pos-
fessore suum agnoscit, à quo curatur, à quo
res necessarias accipit, & à quo in campos e-
mittitur & reducit: quod ab hominibus er-
ga Deū minimè sit, immò ne ab iis quidē qui
in Ecclesiam ipsius recepti sunt, qui licet im-
mensis ab illo donis affecti sint, tantisque bo-

tia in A-
nimali-
bus in spe-
cie con-
sideratis
testimo-
nia.

Bos.
stupidos
& ingra-
tos ar-
guit.

nistum corporeis tum spiritualibus cumulati
sint, vt extra numerum sint, vt docet Prophe-
ta Psal m. 40. his verbis,

*Vah! quæ & quanta Deus toto miracula mûdo
Sparfisti, & quæ non distincta hac ordine cun-
cta*

*Digerere, auctoris prout illa immensa meretur
Maiestas, penitus mens forè aggressa fatiscat?
Nam quã hæc lingua, quo possint dicier ore?*

Quas igitur tanto memorem pro munere grates?
tamen animaduertimus maximam illorum
partem, & ipsius & beneficiorum eius obli-
tam, ab ipso discedere, amorem eius, hono-
rem, timorem, cultumparui pendere, immo
flocci facere: quorum omnium eos pœniteret
si tot beneficiorum quibus ab illo quotidie
cumulantur grati essent ac memores.

Ecclesiæ
ministro-
rum fi-
gura.

Scriptura etiam Bouem nobis proponit, vt
figuram Ministrorum Ecclesiæ, & mercedis
quæ illis debetur, modò fideliter laborent, pa-
tientes sint & laboris tolerantes in sui mune-
ris exercitio, & in aratro trahendo & vomere
altius defigendo diligentes, ad proscindendam
& aperiendam Domini terram & campum,
id est eius Ecclesiam, & ad faciendam in ea se-
mentem verbi diuini, quod semen est incorru-
ptum & in æternum permanens. In quam sen-
tentiam Apostolus locum ex Mosis Lege pro-
fert, Non ligabis os Boui trituranti.

1. Cor. 9.
& Deut.

25

Ex Dei

Deus etiam prouidentiam suam ostendit in
Bubus & aliis bestiis, quòd vt à laboribus ces-
sent & recreetur, patres familias iubet Sabba-
tho

tho labores illis remittere & quietem concedere, vt quodammodo refectis viribus diurno labori & operibus extraordinariis possint sufficere.

Qua in re summam Dei nostri benignitatem considerare nos operæ pretium est: quam non solum erga homines patefacit, sed etiam erga ipsas bestias, quarum curam gerit, adeo vt earum & victui & quieti provideat: & hæc quidem ideo vt hominibus vtiliores sint, in quorum commodum creatæ sunt & adhuc hominibus conferuantur. Quod etiam Dauid diligenter animaduertit, & his verbis expressit, Pl. 36.

Quñ tua summe Deus bonitas micet æthere toto,

Fidēsque superet nubilorum vertices,

Et qua Cunctipotens hominēsque ferāsque gubernas,

Vis equitate temperata plurima,

Quoslibet excelsos transcendat culmine montes,

Maris eadem profundior voragine.

Inter at ista tuas quanta est, Deus optime, laudes,

Fæda quod oblitus satos propagine

Mortales, velut alarum sub tegmine fœtus

Ales tenellos, sic tueris & fones:

Deliciis que tuis saturos, dimittis ad amnes

Pleno ubi voluptas pura manat alueo.

Fuit præterea vetitum in Lege, ne simul araretur boue & asino. Quo præcepto docere nos Deus voluit, quanti faciat concordiam non solum inter homines, sed etiam inter bestias, quas natura differentes & diuersas noluit si-

subleuā-
dus: qua
ex re ma-
gis ma-
gisque
commē-
datur do-
ctrina de
providē-
tia. Nam
si Deus
curā ge-
rit ani-
malium,
annon
multo
magis ho-
minum,
& maxi-
mè filio-
rū suorū
geret?

Præce-
ptum de
coniun-
ctionib.
illicitis
in me-
moriā
reducit.

mul idem iugum trahere, ne fortè perpetua inter se discordia laborarent.

**Præser-
tim in
matrimo-
niis.**

Hoc ipsum propriè admodum Apostolus accommodat hominibus vxores ducere volentibus, quum inquit, Ne impari iugo copulamini cum infidelibus, ad ea quæ suprà diximus aspiciens, nèpe licet fideli sit natura communis cum infideli, quum tamen complexiones & religiones diuersæ sint & contrariæ, fieri nõ posse quin felicitas & effectũ matrimoniij impediatur, quod in hoc potissimũ consistit, vt vnà coniuges feliciter in Dei timore & indelibili inter se concordia coniuncti vitam degant.

Quem vnicum & præcipuum finem rationes quas adfert deinceps respicere videntur. Nam quod, inquit, consortium iustitiæ cum iniquitate? & quæ communio luci cum tenebris? Et quæ concordia Christo cum Belial? aut quæ portio fideli cum infideli? Et quæ consensio templo Dei cum simulacris? nam vos tẽplum estis Dei viuientis: sicut dixit Deus, Habitabo in eis & inambulabo: & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Quapropter exite è medio eorũ, & separamini, dicit Dominus, & impurum ne attingite: tum ego excipiam vos: Et ero vobis pro Patre, & vos eritis mihi pro filiis ac filiabus, dicit Dominus Omnipotens.

**Sacrifi-
ciũ Mes-
sæ repre-
sentat.**

In Bubus præterea & aliis mundis animalibus Dei mandatum est obseruandum, qui veterem populum iussit sibi offerre in sacrificium istiusmodi species animalium, pinguium

um & quæ suis partibus essent integra, & in hunc finem effundere sanguinem eorum antequam in sacrificium offerrentur, vt sanguinem filij sui, qui sine macula erat, & sanguinis eius effusionem figuraret, quò doceremur non sine morte & sanguinis effusione remissionem peccatorum & Dei cum hominibus reconciliationem obtineri posse. qua de re sic Dauid loquitur Psalm. 118, inquit, Ligare bouem sacrificij ad cornua altaris sacri.

Ad Asinum trāseamus, quem Propheta bo- ui adiungit, ingratum animum Israëliti- ci populi coarguens, his verbis, Asinus herorum agnoscit præsepe, sed Israël non cognouit me, populus meus non intellexit.

Asinus
stupidus
& ingra-
tos verbi
Dei con-
temp-
tuo-
sus ar-
guat.

Quibus verbis grauis & acerba continetur aduersus Dei populū querela & exprobratio, qui hoc loco animali omnium stupidissimo & tardissimo subiicitur, quod tamen sua nō impedit stupiditas quominus agnoscat, & sponte repetat locum in quo educatur, & quodammodo victum præbenti blandiatur: quum tamen inter eos qui fideles dicuntur, multi sint qui nunquam aut admodum rarò in cœtibus Ecclesiasticis conspiciantur: quum hi tamen coetus instar præsepis sint, in quo Dei populus quotidie victum suum ex Dei verbo querere debet, quum hac vnica ratione ad veram Dei cognitionem perueniatur, qua vt ipse postulat, colatur & glorificetur.

Prodigiosum quiddam libro Numerorum, cap. 22. de Asina Balaam commemoratur: quæ

Asina
Balaam.

cùm cerneret Angelum Domini stātem in via euaginato gladio, auertit se de itinere, & ibat per agrum, Quam quum verberaret Balaam, & vellet ad semitam reducere, stetit Angelus in angustiis duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur. Quem videns Asina iunxit se parieti, & attriuit sedentis pedem. Quūque vidisset Asina stantem angelum, concidit sub pedibus sedentis, qui iratus vehementiūs cadebat fuste latera eius, aperuitque Dominus os asinæ, & locuta est, Quid feci tibi? cur percutis me ecce iam tertio? Respondit Balaam: quia commeruisti, & illulisti mihi, vtinam haberem gladium vt te percuterem. Dixit asina. Nonne animal tuum sum, cui semper sedere consueuisti vsque in præsentem diem? dic quid simile vnquam fecerim tibi? At ille ait. Nunquam. Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit angelum stantem in via euaginato gladio, adorauitque eum pronus in terram. Cui angelus, cur inquit, tertio verberas asinam tuam? Ego veni vt aduersarer tibi, quia peruersa est via tua, mihi-que contraria. Et nisi asina declinasset de via, dans locum resistenti, te occidissem & illa viueret.

Ostendit In hac historia quæ certè planè prodigiosa
quam cu est, videre est quantam curam Deus in suis
rem ge- conseruandis, & ab omni malo protegendis
rat suo- adhibeat. Nā falsus ille Propheta eo consilio
rum Do- in viam se dederat, vt populo Dei in gratiam
minus.

Balac

Balac capitalis eius hostis malediceret, à quo in cœpto admiranda quadam ratione à Domino prohibitus est.

Ex hac etiam historia perspicimus Dei iudicium à brutis animantibus sæpe anteuerti, quum homines Dei minarum immemores & sibi suis in vitiis placentes, vltro sibi iudicium accersant, quo tandem ex improviso oppressi miserè pereunt.

Bellui-
mū im-
proborū
stuporē
prodit.

Videmus insuper Deum quem voluerit voce donare, & asinæ isti & serpenti ad hominem tentandum & seducendum vocem indidit statim in ipso conditi orbis primordio. Quod magnam fiduciam iniicere debet fidelium atque adeò imperitissimorum quorumque animis, ut liberè & intrepidè fidei suæ rationem reddant quoties ad regum aut iudicum tribunalia sistuntur.

Vocem à
Deo tri-
bui cui
libuerit.

Cuius pretij erat cæcus ille natus qui coram Phariseis tanta *ωαρρησία* vitur, & causam Iesu Christi tueretur longè fortiùs & doctiùs, quàm vel oratorum disertissimus quispiam. Et quo loco erat & numero plebeius ille & gregarius homuncio qui in Concilio Niceno sine vlllo verborum fuco & splendore Arrianos mendacii euicit. In historia Martyrum narratur de quodam opifice qui quum esset in vincula comectus religionis nomine, & ad iudicem deinde pertractus ut ad suorum aduersariorum accusationes, & ad articulos omnes quæstionis in psum habitæ res-

Exēpla.
Iohan. 9.

Testimo-
nium &
exemplū.

ponderet, coram suo iudice tanta cum animi
confidentia, & tam appositè ad singula postu-
lata respondit, vt magnam sui admirationem
apud eum concitaret: adeò vt ex eo perconta-
tus fuerit, vnde ea quę diceret, didicisset, & vn-
de tantam dicendi libertatem haberet, siqui-
dem in scholis aut academiis nullam partem
ætatis suę triuissset: cui vno verbo respondit
bonus ille vir, se eiusdem virtute loqui cuius
asina Balaami quondam loquuta fuisset. Hoc
ipsum obiecit Mosi Deus, quum toties sibi de-
mandatam Pharaonis adeundi prouinciam,
qua populum suum seruitute liberare iube-
retur, à se reiicere conatus est, oris balbulitiem
& linguę tarditatem excusans, suam denique
in dicendo imbecillitatem, qua impediretur
quominus eam ad tantum Regem legationem
obire auderet: cui proinde Dominus respon-
dit. Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus
est mutum & surdum, videntem & cæcum?
nonne ego: Perge igitur, & ego ero in ore tuo:
doceboque quid loquaris. Quò pertinent il-
la Davidis ex Psalmo 51.

*Tu viam vocis mihi pande, mutum
Tu Deus lingue moderare plethrum:
Tum feram latè tua magna gentes
Facta per omnes.*

Homi-
nes de-
bere hu-
maniter
tractare
bestias.
Exod. 23.

Hoc exemplo etiam monemur ab omni im-
manitate abstinere in bestiis tractandis, sed
iis summa cum mansuetudine vti: id quod di-
fertis verbis in lege præscribitur. Si videris as-
sinum odientis te iacere sub onere, non per-
tran-

transibis, sed subleuabis cum eo. Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum.

Veniamus ad canem inter omnia animalia *Canis*. hominis amantissimum, & huic maximè familiarem, cuius amor & fidelitas erga Domi- *Fidelitas* num est singularis, utpote quem nunquam *eius* deferat.

Plena sunt historiarum monumenta exemplorum singularis amoris canum erga suos dominos. quam ob causam Græci *κύων* vocarunt, quod amasiū sonat, quālibet enim quandoque à domino cædatur, ab eo tamen non discedit, quin potius ad eius pedes aduolutus, flebilibus oculis illum contuetur, quasi culpam agnosceret & pœnā deprecaretur. vnde manauit vocabulum *αποκυνίσις*, quæ summam animi submissionem cum summa obseruantia coniunctam significat, qua se Christiani prosternunt ante faciem & tremendam maiestatem Dei, suas apud illum preces cum ingenua peccatorum confessione fundentes. *Ipsius nomine cōprobata.*

Canibus etiam nobis boni & mali pastores *Bonos & malos pastores representat.* depinguntur, ac mali quidem canibus asthmaticis, qui offē tantum student & viscerationi, de quibus Isaias cap. 56. Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia. Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem: ipsi pastores ignorauerunt intelligētiam: Omnes in viam suam declinauerunt, unusquisque ad auaritiam

F. j.

suam à summo vsque ad nouissimum, Venite sumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit sicut hodie, sic & cras & multo amplius.

Ex aduerso autem boni pastores significantur bonis canibus, generosis & vigilantibus, quoniam perpetuò allatrent in latrones & grassatores, qui in domum Dei irrumpere volunt, à cuius aditu eos quantum in se est prohibent: fortiter etiam lupos ab ouili Domini propellunt.

Oues.

Ad oues iam accedamus, quorum nomine electi à Iesu Christo designantur, propter similitudinem quæ eis eam ouibus intercedit.

Imago
Ecclesiæ
Dei.

Quemadmodum enim oues vocem pastoris audiunt, eam norunt, & sequuntur, ita etiam electi vocem Iesu Christi audiunt, eiq; auscultant. Nihil prius, nihil antiquius habent, nihil gratius huius vocis suauitate, cuius sono aures suas indefinenter verberari cupiunt.

Exēpla.
Luc. 10.

Cuius rei duo præclara nobis exēpla proponuntur, vnum Mariæ Marthæ illius sororis, quæ ad pedes Christi assidens, eius verba audiebat tanta cum attentione & voluptate animi, vt omnium aliarum rerum immemor esset. Alterum exemplum est Petri, à quo perinde vt ab aliis cum Christus quæreretur, num & ipse à se discedere velleret, vti tegerant ex discipulis quidam, ei tum respondit Petrus, Ad quem verò te derelicto confugeremus, siquidem in te verba vitæ æternæ insunt? Ea igitur est vis verbi Christi, pastorum Ecclesiæ principis, vt promulgata ad se electos pelliciat, vt
ramus

amus oleaginūs capras: & eosdē contineat
ut magnes ferrum quod ad se pertrahit.

Et rursum quemadmodum oves pastorem suum norunt, ita etiam electi omnes Iesum Christum: hinc dicebant Apostoli Ioannis 6. Credidimus & nouimus te esse Christum filium Dei uiuentis. Et Diuus Petrus rogatus quid de Iesu Christo sentiret, tum suo tum aliorum collegarum nomine respondit, Tu es Christus filius Dei uiuentis. Vbi notandum est non satis esse ad saluificam cognitionē Christi, credere eum esse filium Dei uiuentis: nisi agnoscamus eum esse Christum, hoc est, eum qui uinctus sit, ut esset noster Rex, cuius legibus regeremur, & cuius virtute & robore ab omnibus tum visibilibus tum inuisibilibus hostibus defenderemur: nisi item eum summum sacerdotem nostrum agnoscamus, qui suum corpus in sacrificium obtulit, ut nos Patri suo reconciliaret, & eius gratiam nobis promereretur: quique iam ad eius dexteram adstans perpetuis suis apud Patrem precibus pro nobis intercedit, quibus nos in ea quam suo nobis peperit sacrificio Dei beneuolentia contineat: nisi denique eum esse Prophetam teneamus, qui & suo Spiritu sancto nos intrinsecus, & suorum ministrorum opera extrinsecus omnem Dei Patris sui voluntatem, saltem quod ad eius cultum & nostram salutem, planē & penitus doceat. Tercio loco annotatum est oves pastorem suum sequi, pariter etiam electi Christum sequuntur, & eius

Oues no-
runt pa-
store suū
& electi
Iesum
Christū,
Matth. 6.

Vera &
recta
Christi
cognitio.

F. ij.



vestigia sectantur, ne tantillum quidem ab eo quod ipsi præstare debent obsequio deflectentes: sed totos se ad eius nutum & voluntatem, quantum quidem in ipsis fuerit, componentes, ut aiebat Dauid Psal. 26.

*Mentem videbis munificentia
Quæ dona nunquam non meminit tuæ:
Actaq; leges puriter ad tuas
Vita carentem flexibus orbitam.*
Et paulò post.

*Sed mente pravi non sibi conscia,
Lotusque puris fontibus, ad tuas
Aras adibo, letus & offeram
Lætæ choreæ dux tibi victimas.
Te nostra pangent tympana, te lyra,
Te vox canoro consona tympano,
Lyraq; cœnūq; in celebri tua
Miranda pandet facta nepotibus.*

Manfuc-
tudinis
& patien-
tiæ exem-
plum no-
bis præ-
bent.

Luc. 22.

Præclarum item nobis mansuetudinis & patientiæ exemplum suppeditatur ab ouibus, quæ se capi, ad laniam duci, iugulari, tonderi impunèque adeò deglubi sinunt: paribus etià armis instructos esse decet Christianos omnes, & licet vndiquaque impetantur ab improbis, ut oues à leonibus, lupis, vrsis, & aliis feris animantibus vim experiri solent, omnia tamen sufferre debent, suâque animas, hoc est, vitas in patientia possidere, ut fecit Christus, & tum re tum verbo docuit: ad quod significandum videtur Christus omnium maximè appositum ouis exemplum proponere voluisse. Si enim vtriusque tum ouis tum ho-

minis

minis formæ & ortus ratio accuratior habeatur, vtrumque ad mansuetudinem, patientiam & lenitatem à natura comparatum esse compariemus, contra quàm vsu eueniat in aliis bestiis, quæ cum armis ad sui defensionem & vim inferendam nascuntur.

Quod videmus in leonibus, tigribus, leopardis, lyncibus & id genus aliis feris animantibus, quæ feroci sunt aspectu, validis & acutis dentibus, magnis & aduncis vnguibus prædita, alia cornua habent in fronte, alia in pedibus, quibusdam est aduncum rostrum, vngues validi & acuti, vt fortiùs prædam arripiant & contineant. At nihil horum datum est à natura oui & homini quo nocere possint, sed omnibus sui corporis partibus summam præferunt lenitatem & humanitatem: quod omnino arguit fideles esse natos ad patiëntiam, nullisque aliis contra suos hostes armis instructos esse oportere quàm fide & constantia in quibuscunque malis fortiter ferendis, quibus Deo visum fuerit eos in hac vita variè exercere & probare, & ad nomen suum in omnibus rebus aduersis benedicendum excitare, certò scientes fore vt hæc omnia diuina prouidentia in suum commodum tandem conuertantur, & ad salutem suam plurimùm conducant.

Quod animaduertens Dauid hæc dicebat
Psalmo 44.

*Pecus vt macello destinata exponitur
Cadentium libidini.*

F. iij.

Vel ipso
teste Chri-
sto & af-
finitate
quæ inest
inter o-
uem &
hominē.

Teste e-
tiam ipsa
cōmuni
fidelium in
hac vita
conditio
ne.

*Omnēsque terras barbararum gentium
 Errore complemus vago.
 Et sub eiusdem Psalmi finem,
 Te propter odio ceteris populis sumus,
 Et instar ouium cedimur.
 In te fauoris pendimus pœnas: tui
 Amoris odia nos premunt.*

Vt autem doceat quomodo fideles se gerere
 debeant quum tam crudeliter accipiuntur,
 eodem Psalmo circa medium ait,

*Dum voce acerba iniurias exasperat,
 Mināsque toruas aducit
 Hostis proceruus. Obruti tot cladibus,
 Tot vnde quaque instantibus,
 Tamen nec unquam est animus oblitus tui,
 Tecumque pacti fœderis.
 Sese nec ullis territus periculis
 Auerit aut flexit via
 Recta pes. etsi penitus abiecti interim
 Abs te: licet draconibus
 Immitioris gentis addicti ingo,
 Feramus umbram ergastuli:
 Et seruitutem lugeamus, & necem
 Vitæ precemur tadio.
 Iniqua meritis si tuis obliuia
 Offuderint se mentibus
 Nostris, manusve supplices protendimus
 Diis impiarum gentium,
 Id te lateret, abditas qui pectoris
 Prorsus latebras inspicis?*

Multipli-
 catio o- Præter ea quæ suprà à nobis dicta sunt, duo a-
 uium & lia singularis Dei prouidentiae argumenta in
 oui-

ouibus sunt notanda, ac primùm quidem eius ^{exiguus} animalis foetificatio: nam tametsi vnicum dun ^{numerus} taxat singulis annis agnum ouis enixa pariat, ^{luporum} isque cibus sit omnium homini frequentissi- ^{singularē} mus, vt nullus ferè alius vèniat in laniena, & ^{Dei pro-} ferè in prædam lupis & reliquis feris animan- ^{uidentia} tibus sint expositi greges ouium, & sæuissima ^{testatur.} pestis vt plurimùm inter ipsos grassetur: nul- lum tamen frequentius animal occurrit in a- gris.

Sæpe enim numerantur quingenti, mille & amplius de ouium genere, quæ interdum secu- rè in agris pascant, quo tempore lupi in syluis opacis & densis dumetis taciti latitare cogun- tur vt vitæ suæ consulant: quod secundum est admiratione dignum, non tantum in ouibus, sed etiam in Ecclesia & fidelibus, qui quanto maiores persecutiones patiuntur, tanto nu- merosiore multitudine augentur, vt scribitur Exodi cap. i. vbi Moses ait populum quanto ab Ægyptiis opprimeretur, tanto magis mul- tiplicasse & creuisse. Hinc etiam Tertullianus Ecclesiam syluæ cæduæ comparat, quæ depu- tata altior exit. Id ipsum quoque euincitur ex Diui Petri & Diui Ioannis confidentia in lo- quendo, qua vsi sunt apud Sacerdotes & prin- cipes Ierusalem. Quid verò D. Stephanus num- os obturauit iis qui ex synagoga cū ipso dis- putabant, ea dicendi libertate, qua suam cau- sam apud eos defendebat, quæ quidem liber- tas non aliunde proficiscebatur quàm ex fide & bona conscientia qua præditus erat:

F. iij.

Mutua in Iam verò vt huic sermoni finem impona-
 ter ver- mus, quemadmodum inter se greges ouium
 ueces & summam amicitiam colunt: ita etiam fideles
 oues con- in Ecclesia arctissimo charitatis & Spiritus
 cordia, & Dei vinculo contineri debent, quo coniuncti
 fructus qui ex iis in vnū veluti corpus coëant. Præterea quem-
 percipi- admodum nulla parte sui inutilis est ovis. sic
 tur docēt verum Christianam in hoc potissimum in-
 fideles vt cumbere decet vt omnibus profit, nemini
 mutuum obfit.
 inter se

amicitiā Ad equum accedamus, cuius magnus est o-
 foueāt, & mnino inter homines vsus. alius enim est ve-
 sibi inui- ctarius, alius iugalis, alius sarcinarius, alius a-
 cem com- rator, alius bellator equus: in quo singularem
 modent. Dei prouidentiam agnoscere debemus, qua
 Equus. idem equus variis rebus obeundis nobis in-
 Quod do- feruit. Duo tamen sunt in equo, quibus eum
 cumentū nobis referre non debemus, quorum prius est quod
 nobis præbeat. caput arduum gerens, & altos pectores spiritus
 profans, & pedibus terram proterens, fero-
 ciam animi indicet, posterius est quod in sta-
 bulo tanquam in saginario pinguefactus ma-
 num herilem non patitur, sed equabus sem-
 per adhinnit, vt ait Ieremias cap. 5. vbi confert
 scortatores, & luxu & lasciuia diffuentes ho-
 mines equis emissariis, qui manē surgentes
 hinniant ad proximi sui vxores. Quæ duo vitia
 in Christianis hominibus humilitate & casti-
 tate debent corrigi & emendari: nam vnus-
 quisque, vt ait Apostolus, debet suum vas pos-
 sidere cum sanctificatione & honore, & sub-
 mittere se potenti manui Dei, vt nos in tem-
 pore

Theſ. 4.
1. Pet. 5.

pore extollat.

Vnum etiam est in equis à quo maximè ca- Equis nō
uere debemus, he scilicet iis quantumlibet fidendū,
validis & alacribus in bello fidamus. Quod sed Deo
David pluribus in locis grauitè reprehendit, soli.
sed præcipuè Psalmo 20. Testimo-
nia ad cā
rem.

Gloria sit Syria turmas numerare carules,

Axèsq̃ue curuis asperate falcibus:

Fidat equis, latèq̃ue vagis discursæt habenis

Sonante Perses arua findens ungula:

Hi currus & equos iactent, nos rebus in artibus

Dei potentis nomen innocabimus.

Illis nec currus nec vis præstabit equorum

Ne scindat uncis vultur artus unguibus:

Nos humiles fauor æthereus penitusq̃ iacentes

Tollet, suòq̃ue sustinebit numine.

Et Psal. 33.

Sape spem fallit præeuntis Euros

Bellatoris equi fuga.

At Deus iustos oculo irretorto

Semper respicit & pios.

Et Psal. 147.

Quem neq̃ magnanimū delectat robur equorū,

Nec vis ferocis aut lacertus militis:

Sed pietas animi simplex, & in illius una

Qua spem salutis collocet clementia.

Habemus quoque Gallinam in domesticis a- Gallina.
nimalibus, in qua etiam singularis Dei proui- Quot
dentia elucet, primùm in eo quòd tanta cura modis
sua oua foueat, vt sæpe cibi & potus obliui- nobis te-
scatur, deinde quòd exclusos pullos tãto cum statur di-
studio secum circunducens, terram vnguiculis uidentia.

scalpere doceat, vt paulatim victum querere discant, tum etiam in extraordinaria illa quasi animi fortitudine, qua non dubitat vim & conatum Milui in rapiendis pullis eludere, ei que se fortiter opponere. Denique in eo quod vt suos pullos a frigore arceat, saepe illos expansis alis excipiat & foueat: qua causa motus est Christus vt sui comparationem faceret cum hoc animali, prout scriptum est Matth. 23. Ierusalem Ierusalem trucidatrix Prophetarum, & lapidatrix eorum qui ad te missi sunt, quoties volui congregare liberos tuos, quemadmodum Gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquitur vobis domus vestra deserta.

Vtrum
maiorē
hominibus
vtilitatem
afferat
mare ne
an Galli-
na.

Quidam de elemento maris & de gallina differentes disputarunt vtrum horū maiorem hominibus vtilitatem afferret: excepta modò maritima negotiatione. rationes quas pro gallina afferebant, ista erant quod plures aleret. nam si quàm numerosa hominum multitudo siue in vrbibus siue vicis, & pagis ouibus vescatur nobiscum reputemus: itemque quàm multa oua suis illis pistoriis operibus adhibeant dulciarij pistores, fartores & ceteri in reliquis condimentis, iusculis, & varij generis edulliis considerentur. Preterea si quàm multi pulli gallinacei, capi, & præpingues gallinae toto terrarum orbe comedantur, attendamus, videntur omnino qui pro gallina disputabant superiores causa esse si quidē longè plura gallina ad hominum alimoniā quàm mare submini-

ministrare videatur.

Vnum tamen est in gallina in quo ab ea dissimiles esse debemus. nempe quòd cum ei omnia domi abundè ad victum suppetant, iis non contenta, exit foras, & vicinorum fimeta dispergit, vt alieno quasi stercore pascatur: in quo curiosorum ingenium exprimit, qui cum in sua vita, moribus, & omnibus actionibus excutiendis plus satis occupari possint, vt sua vitia agnoscant, quid tamen in vicinis ædibus geratur explorare & exquirere malunt, non vt quæ in iis honesta sunt & laudabilia capeant & sectentur: sed vt ea maximè carpant & eliminèt quæ minùs ordinata, aut parù còposita in iis obseruarint. Quod vitium turpissimùm est & maximè detestandum, & charitati Christianæ planè contrarium, propterea quòd frater no iure quo deuincimur, alij aliorum vitia potiùs tegere & dissimulare deberemus, eaque cum spiritu mansuetudinis reprehendere, vt ait Apostolus: quàm ea virulenter incessere, aut contumeliosis verbis aliorum vitam trahere.

Gallinæ iam Gallum gallinaceum adiungamus, in còque pariter diuinæ prouidentia vestigia multa notemus, cuiusmodi est grauis ille habitus quem præ se fert, incessus ille tardus & superbus, caput illud erectum, liberalitas illa insignis erga suas gallinas, quibus, quem nactus est cibum, distribuere mauult, quàm sibi sumere: denique illa generositas quam in suo gallinarum satellitio defendendo demon-

Gallus
gallina-
ceus in
quo Dei
prouiden-
tiâ testa-
tur.

Quid do-
cet potē-
tiores.

strat. Quæ omnia potentissimi alicuius regis dignitatem proponunt, cui inesse debent superiora illa omnia, vt eū pudere debeat, quoties casu aliquo incidit in Gallum gallinaceum, nisi in omnibus eum referat.

Est ima-
go prin-
cipis ma-
gnanimi.

Gallus gallinaceus, sua etiam voce, habitu, & incessu quamlibet truculentissimos & immanissimos leones perterrefacit. Sic in regno principem magnanimum & fortem tyrannis quibuslibet formidolosum esse oportet, quibus proinde suspectus est semper, adeò vt eius vitæ insidentur, vt liberent se eo metu quo cruciantur: cuius rei luculentum testimoniam nobis in omnium historiarum monumentis exhibetur.

Commē-
dat so-
brietatē,
vigilan-
tiam &
laborē.

Vigilantia Galli gallinacci principes itē admonet vt sint sobrii, vigilātes, & ad suum officium semper attentī, non somnolenti, non pigri, aut in obeundo suo munere negligentes, quales sunt nimium multi reges & principes, ita omni genere voluptatum & deliciarum delibuti, vt ad eas solas dies noctesque omnes animi sui cogitationes conferant.

Ad pœni-
tentiam
inuitat.
Matt. 26.

Denique eius cantu, D. Petri exemplo, ad sententiam peccatorum nostrorū pœnitentiam excitamur, vt subinde in animum reuocemus quoties re ipsa Christum abiuramus tametsi ore tenus illum confiteri videamur.

Hirūdo.

Ad Hirundinem transcamus, à qua etiam diuinæ prouidentiae effecta nostris oculis subiiciuntur: vel in eo saltē quod ex quorundā opinione, nos architectonicem docuit & con-

Archite-
ctonicē
docet.

struen-

struendarum ædium rationem, ad commodam habitationē. Tāta enim industria nidulatur, vt omnem hominum solertiam hac in parte facile exæquet. Et quoniā suos fœtus culicibus alit ex quibus magnam vim sordium egerunt, *Munditiem.* ne earum fœtore inficiantur ad nidi oram extremam eos conuertit, vt excrementa in terram decidunt, atque ita semper nitidulus maneat eorum nidus. Quod vtinam exemplum sequerentur fideles omnes vt & in ædibus suis munditiem & in conscientiis puritatem eandem retinerent.

Præclarum item prouidentis animi exemplum scriptura Dei nobis in hirundine suppeditat his verbis. Miluus in cœlo cognouit tempus suum, turtur & hirundo, & ciconia custodierunt tēpus aduentus sui, populus autē meus non cognouit iudicium Domini. Quomodo dicitis Sapiētes nos sumus, & lex Domini nobiscum est? digna certē quæ notetur obiurgatio Dei aduersus populum suum. Mirum enim & pudendum nos vel brutis animantibus stolidiores & hebetiores esse, & in tanta iudiciorū Dei copia, quæ vndique nos circumstant & ceruicibus nostris imminet, totos cecutire.

Hirundo nobis etiā perfidi amici imaginem subiicit: cum enim claro & sereno æstatis tempore in aliquo hospitio nidulata sit, eadem caliginoso & aspero hyemis tempore hospitium deserens, alio diuertit. Pariter quoque simulati amici nunquam à nostro latere rece-

Prouisionem iudiciorū.

Falsorū amicorū imaginē refert.

dunt quamdiu secundis rebus fruimur, & aliquod à nobis emolumentum aut subsidium sperant, at eosdem rebus aduersis turpiter deferunt, ingrati vitium animi suum in eo maximum prodentes, cum singulari quadam perfidia coniunctum, dum eos tum valere iubent, quum suam illis operam maximè in summa rerum inopia præstare deberent.

Itémque
Garrulo-
rum &
impor-
tunorū.

Hirundo denique garrulos nobis & importunos exhibet, qui suo vaniloquio aures nobis obtundunt. quod vitium pluribus in locis ab Apostolo grauiter perstringitur, vt Epistola ad Ephes. cap. 4. Nullus sermo corruptus ex ore vestro egreditor, sed si quis est commodus ad ædificationis vsum, vt gratiam auditoribus adferat. Et ne tristitia afficite Spiritum illum sanctum Dei, per quem obsignati estis in diem redemptionis. & 50. eiusdē epistolę, Scortatio verò & omnis impuritas, aut auaritia, ne nominator quidem inter vos, sicut decet sanctos: & obscœnitas, & stultiloquium & dicacitas, quæ non conueniunt, sed potiùs gratiarum actio. quod etiam vitium insectatur Dauid pluribus locis suorum Psalmorum vt 35.

Proscindunt auida me petulantia

Scurra cum balatronibus.

Dentem dente acuiunt, & rabiem vomunt.

Et Psalm. 50.

At impium sic alloquitur Deus,

Qua fronte leges tu recitas meas?

Et ore sanctum impurus andes

Sacrilego memorare fœdus?

Tule-

*Tu legum habenis impatiens regi,
 Et institutis moribus & bonis
 Iuratus hostis, voce laudas,
 Tecum animo mea verba rides.
 Cum fure furti consilium cois,
 Mœchis adulter te socium applicas:
 Ad probra proiectus, dolosa
 Perniciem meditare lingua,
 Cum fratre iuncti vincula sanguinis
 Oris procacis non rabiem premunt:
 Infamia germanum eodem
 Dedecoras vtero creatum.*

Et Psalm. 101.

*Tecta non intret mea fraudulentus:
 Nemo mecum intra mea commoretur
 Limina mendax.*

Diuus Iacobus quoque epistola sua Catholica vnumquemque hortatur vt sit procliuius ad audiendum, tardus ad loquendum. Ac sanè videmus linguam à Deo duobus quasi dentium & labiorum septis circūclusam: quo quidem monemur non temere ad loquendum linguam exerere, ne quod vulgò aiunt, obtineat, vt lingua præcurrat mentem. cum hæc illius arbitra & moderatrix esse debeat. Mulier nisi quem conceperit fœtum in vtero retineat ad præscriptum vsque à natura tempus, ferè abortum facit. sic etiam nisi multū diūque intra se premant homines verba antequam proferantur, ferè sunt irrita & inania. Extant quoque in Passeres
 passerulis & aliis volucris cœli nō vulgaria Matt. 6.
 prouidentia: diuinæ exempla: primū in eo



Docent
nos à Deo
pendere.

Exéplo
Dauidis.

quòd cùm nec ferant, nec merant, neque co-
gant in horrea, attamen pater noster cœlestis
singulos alit: deinde in eo quòd cùm duo pas-
serculi assario vaneant, vnus tamen ex iis non
cadet humi sine patre vestro, inquit Christus.
Vtinam verò duorum istorum locorum sen-
tentiam apprimè teneremus, & perpetua me-
moria recoleremus, vt in iis apertissimam Dei
prouidentiam obseruaremus, quam si diligen-
ter expèderemus, maximis curarum molibus,
grauissimis timoribus & anxietatibus animi
quibus perpetuò distorquemur, tandem ali-
quando liberaremur. Nam si verba Christi
bene ponderentur à nobis, quibus ait, nos si-
bi, cùm simus sui filij, longè chariores esse
quàm quasuis auiculas, inde profectò colli-
geremus, cùm illarum curam à se non abiiciat,
potiori ratione futurum vt suorum do-
mesticorum curam gerat, vt ne quid eis desit
vel quod ad victum, vel quod ad vestitum per-
tineat, ac tandem cum ipso Dauide in Psal. 23.
ita exclamaremus.

*Quid frustra rabidi me petitis canes?
Liuor propositum cur premis improbum?
Sicut pastor ouem, me dominus regit
Nihil deerit penitus mihi.
Per campi viridis mitia pabula
Quæ veris teneri pingit amœnitas,
Nunc pascor, placide nunc saturum latus
Fessus molliter explico.
Pure riuus aquæ leniter astrepens
Membris restituit robora languidis,*

Et

*Et blando recreat fomite spiritus
 Solis sub facie torrida.
 Saltus quum peteret mens vaga deuios,
 Errorum teneras illecebras sequens,
 Retraxit miserans denuo me bonus
 Pastor iustitia in viam.
 Nec si per trepidas luctifica manu
 Intentet tenebras mors mihi vulnera,
 Formidem duce te pergere: me pedito
 Securum facies tuo.*

*Tu mensas epulis accumulas, merum
 Tu plenis patulis sufficis.*

Et Psalmo 34.

*Gens sancta Dominum colite: nil deerit Deum
 Fideliter colentibus.*

*Violenta feritas sentiet famem: bonis
 Cuncta affluenter suppetent.*

Et Psal. 37. agens de fidelibus & viris bonis.

*Seu pestis atra, seu furor
 Turbabit orbem bellicus,
 Nil deerit usque innoxio.*

Famem nec agram sentiet.

*Sic hostis impius Dei
 Perit repente funditus,*

Adeps optima ut victima

Vanescit in fumos leues.

Nil donat usque & foeneras

In iustus: at iusto sua

De sorte superat paupere

Quod donet indigentibus.

Iustorum amici pradia

Linguent sua propagini:

G. j.

At hostium radicitus

Semen peribit erutum.

Et paulò post pergens in eodem sermone, ait,

Puer fui, nunc sum senex

Ope destitutum nec pium

Videre memini, nec stipem

Eius petentes liberos.

Iustus misertus pauperum

Dat usque & usque mutuum:

Sera tamen propagini

Non larga deest opulentia.

Columba. Columba est avis domestica, ad quam Christus nos ablegat, ut ex ea simplicitatem in omni vita discamus: nemini enim nocet, non est

Matt. 10.

ferox, nullo actu aut dolo prædita ut pleræque aves, hominum societatem quærit, & licet suis colubulis singulis mensibus priuetur, nihilominus tamē suum columbarium repetit, equo animo ferens sibi illatā iniuriam. In quo fideles eam maximē imitari debent, eandem simplicitatē, & eundē animi candorē ubique seruantes in omnibus rebus vel gerēdis vel suscipiēdis dolū & fraudē fugiētes, maximē verò in cōmuni hominum inter se conuictu summam integritatem colentes: nec ad quamuis sibi illatam iniuriam protinus concitari debent, sed eam patienter ferre, hanc opportunissimam sibi rationē esse persuadentes, qua citiūs & grauiūs eos à quibus læsi fuerint vlciscātur, quàm qui se iræ quodam æstu abripi sinentes, acriter siue in foro iudiciali, siue armis, illatam sibi iniuriam persequuntur.

Candorē
simplicitem
& patientiam cōmendat.

Verif-

Verisimile est Spiritum Dei descendentis super Iesum Christum tum cū baptizaretur, voluisse columba potissimū adumbrari, ob eas quas notauimus causas, & eorum mores qui eius vi regenerantur, & in quibus tanquam in suo templo habitat, hoc animalculo significare voluisse probabile est.

Cur sub
specie
Colum-
bæ appa-
ruerit S.
Spiritus.

Columba est pulchra & iucundo aspectu, perpolitis pennis, & fulgore reliquarum auium pennas facile superantibus. Qua causa motus est Dauid, vt præclaras illas & celebres victorias, quas ab hostibus reportauerat, & populi liberationes ex iis malis, quibus crudelissimè vexatus fuerat, huius auis pulchritudine representare voluerit. Nam psalm. 68. postquam de infœlici populi conditione egit, requiem & fœlicitatem, quæ Dei beneficio tot calamitates & ærumnas exceperat, describit his verbis,

Quid e-
ius pen-
nis de-
notetur!

Vestra licet somno sternantur corpora nigra

Inter fuliginis ollas,

Illa tamen vincent nitidam candore columbam,

Rutila cervicis honore,

Quæ nunc argentū nitidum nūc lumina blandū

Radiantis prouocat auri

Quū Deus Omnipotēs traduceret agmina regū

Longo spectanda triumpho, (cebat,

Squalida quæ luctū & tenebris Solyma ante ian-

Ninea tum luce refulsit:

Cen nunc vicinos inter candentia colles,

Salmonis culmina fulgent.

Ad Coruos iam veniamus, in quibus manife- Corui.

G. ij.

stiffimè quoque se Dei prouidentia profert: quorum exéplo Christus suorum discipulorū diffidentia corrigenere conatur, & anxiam illam curam qua plerique se macerant, dum, ne quid aut ad victum aut ad vestitum sibi desit, metuūt, cui rei sua se industria prospicere posse putant: quapropter etiam congerendis opibus dies noctesque defudant, eo posthabito quod præcipua illis curæ esse debuerat: nempe vt in Dei regno quærendo primū laborent, vt ita omnia deinde illis à prouidentia diuina suppeditarentur. Diligenter sunt ponderanda & expendenda Christi verba hæc. Cōsiderate, inquit, coruos: nec enim semināt, neque metūt: quibus non est cella, neque horreum, & tamen Deus alit eos: quanto vos præstatis volucribus? Quis autem ex vobis sollicitè cogitando, potest apponere ad staturam suam cubitum vnum? Itaque si ne id quidem quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis? Dauid in eandem sententiam idem exemplum in eundem finem profert Psalmo 147 rei confir-

Iesu Christi & Dauidis testimonia ad eius rei confirmationem.

*Qui pecudum genti larga dat pabula dextra,
Coruoque victum se roganti sufficit.*

Sed grauitè perstringit istam à natura hominum animis penitus inlitam diffidentiam, qua in quæuis pericula præcipientes ruunt, & à Deo pluribus modis abducuntur. Quod cū expertus esset Dauid, & bonorum, aut regionum conseruationem, alimoniam, liberorum propagationem non humano consilio, arte, viribus

bus, aut industria, sed ex mera putà Dei erga homines benignitate promanare intellexisset, Psalmo 127. in hæc verba erupit,

Ni cœpta Dominus iuuerit, frustra struis

Moles superbas adium.

Ni Dominus urbem seruet, incassum excubat

Muris vigil custodia.

Frustra anteuertis manè solem & vespere

Sero domum reuerteris:

Victum labore vix parabis anxio,

Ni Dominus admorit manum.

At ille amicis interim suis dabit

Purum soporem somniis:

Domumque dulci prole fœtam liberum

Præbebit. Hæc hereditas,

Hæc illa merces, qua beat charos sibi

Rerum ille dominus omnium.

Quotiescunque coruos videmus in memoriã nobis venire debet quàm acerbis odijs infidelium laborent pij homines, vtpote quos impij non tantum cruditer trucidant, sed mortuos etiam tanta immanitate persequantur, vt vel sepulchri honore eos minimè dignentur. Quinetiam impurissimas quasque bestias, & volucres omniũ obscœnissimas quærunt quibus illorũ corpora lanianda obijciant: quorum tamen iacentium, & tyrannorum crudelitatem experientium tanta quasi maiestate præstringebatur, vt ea quãlibet ante pedes suos iaceta & prædæ exposita vix cõtingere auderët, perinde ac si eorũ, quæ vltimo die à mortuis, excitanda, & immortalitate ornanda essent,

Fidelium
persequu
tiones no
bis reuo
cant, quo
rum cor
pora in
prædam
coruis
obiiciun
tur.

G. iij.

gloriæ & dignitatis sensus aliquis eas tetigisset. Quapropter Dauid grauiter apud Deum conqueritur de immani ista barbarorum hominum crudelitate Psal. 79.

Hæreditatem rector orbis cur tuam

Inuadit hostis impius?

Ritu profano polluit sacraria

Tuo dicata nomini.

Solique stracram funditus Solymam sue

Tegit ruina molibus.

Truncata se ro membra te colentium

Pasum per agros obiacent,

Lanianda rostris vulturum, crudelibus

Aut belluarum dentibus.

Quæ omnia diuina prouidentia contingere, vt etiam nū hodie his paria atque adeò longè atrociora & immaniora contingunt, vt omnes intelligant quàm sit inuisa & exosa lux & veritas hominibus non regeneratis, tum vt bruta animantia summæ crudelitatis & iniustitiæ homines arguant.

Deus cor
uis vtitur
ad suos
subleuan-
dos.

Inest & in Coruo aliud diuinæ prouidentiae exemplum superiori planè cōtrarium, vtpote quorum opera Deus aliquando vsus sit vt suos feruos pasceret, nedum vt illorum corporibus se pascere: cuius rei exemplum habemus in Elia ex priore Regum cap. 17. vbi ait, verbum Domini sic factum fuisse ad eum, dicentis, Recede hinc & vade contra Orientem, & abscondere in torrente Carith, qui est contra Iordanem, & ibi de torrente bibes: coruísque præcepi vt pascant te ibi. Abijt ergo, & fecit iuxta

juxta verbum Domini : cūque abiisset, sedit in torrente Carith qui est contra Iordanem: Coruj quoque deferebant ej panem, & carnes mane, similiter panem & carnes vesperi, & bibebat de torrente.

Tria notatu digna in Coruis ab Augustino observantur, quorum hoc primum est quòd cū in coruorū visceribus tanquam in tumulo aliquando recondita sint sanctorum viscera, (vt suprā annotatum est) monemur omnem gloriam & ostentationem fugere in superbis & magnificis mausolæis nobis extruendis, superbi illius Sobnæ exemplum non sequentes. Nam vt scitè ait quidam ex Patribus, Nulla splendidior quàm Cœli conuexi camera concludi possunt. Alterum observatione dignum est de Ecclesia quæ cū sit fusca & subnigra, vt ait Salomo in suis Canticis, corpore Christi pascitur, vt corpora mortuorum in agris jacentium corui depascere solent. Tertiū pertinet ad eos qui cū iam ad sua vitia occalluerint & in ijs cōfirmati sint, quotiescunque monentur vt eorum seriam pœnitentiam agant, & tandem aliquando resipiscant, semper procrastinando diem de die ducūt, illud Corui Cras, Cras, occinentes ijs qui eos ad resipiscentiam inuitant.

Iam de api agamus, quæ præclara quoque Apis, nobis diuinæ providentiæ documenta suppeditat, ac primū œconomix: mirum enim est vt in tam exiguo animalculo tantum insit prudentiæ & frugalitatis: vt simul ac tempus ad-

Frugali-
tatem do-
cet.

G. iiij.

uenit quo se in apertos campos committere possit, nullam eius partem otio sibi perire sinat, sed à primo lucis exortu ad vesperam usque perpetuo labori se dedat, & ex floribus quibus infidet, illæsis, mel & cerâ quasi emulgeat, & exfugar.

Afflictiones ad nostrum commo-
dum con-
uertere.

Hoc autem maxima obseruatione dignum est, quod semper thymo insidere soleant, qui flos in hortis omnium maxime acris est & linguam vellicans, ex quo tamen rem omnium dulcissimam, mel sic exprimunt: quod magno est documento hominibus, ut huius muscæ exemplo, ceu frugi homines, ex quibuslibet afflictionibus & rebus aduersis suum captent commodum, eas conuertentes ad fidei suæ corroborationem & incrementum, ad patientiam, ad mortificationem carnis cum omnibus suis concupiscentiis, ad inuocationem numinis, laudem, & gratiarum actionem: atque ita suauissimos fructus ex rebus alioqui asperrimis & carni acerbissimis elicientes.

Praua
consortia
fugere.

Nec omittenda est insignis illa prudentia qua utitur in seligendis illis floribus quibus insideat: nam si venenati fuerint procul ab iis diffugit: ita etiam à viris prudentibus improborum consortia, praua exempla, & verba omnia quibus ad nequitiam abduci possint, vitari par est. uti etiam monemur ab Apostolo. An nescitis paululo fermenti totam massam fermentari? Expurgate igitur vetus fermentum, ut sitis noua massa, sicut estis fermenti expertes. Etenim Pascha nostrum pro nobis sacrificatum

1. Cor. 5.

tum est nempe Christus. Itaque festum agitemus non fermento veteri, nec fermento malitiæ & nequitiae: sed non fermentatis panibus synceritatis & veritatis.

Aliud insuper est notatu dignum in hac musca, nepe quod otio inimica sit. Itaque cum fuci in sua aluearia mellis depascendi causa aduolant, in quo congerendo nullam operam posuerint, cogunt se cateruatim, eosque tandem oppugnant donec planè exegerint & fugarint. Quod in Ecclesia etiam fieri postulat Apostolus, in qua non vult homines ali citra laborem, propterea quod communis hæc sit omnium hominum vocatio, & quod siue in regno siue in Republica siue in Ecclesia nihil sit perniciosius otio. Nam, ut dicebat Cato maior, Homines nihil agendo malè agere discunt.

Otium
item.

Est & admiranda quædam architectonices scientia in hoc animalculo, quâ studiosè obseruat in tam accuratis illis & tanta arte cõpositis suorum alueorum cellulis, ut in iis nihil desiderari possit: quod occasionem dedit quibusdam ut dicerent architectos inde suæ artis primordia duxisse. Iam verò si (ut ait Apostolus) sumus ædificiū Dei omnium creaturarum scientiam infinitis partibus superantis, certè pudere nos deberet tam inordinatarum nostrarum omnium vitæ actionum & tam malè institutorum morum, si quidem videmus huius animalculi tam benè compositum opus esse, & omnibus suis quasi partibus absolutum.

1. Thef. 4
& 5.
2. Thef. 3.

Ædificandi artem
docet.

1. Cor. 3.

Hostes

Hostes populi Dei quandòque etiam cum Ecclesiæ

cū mu-
scis & a-
pibus cō
parati.

apibus conferuntur, vt Isaia 7. Et erit in die il-
la: sibilabit Deus muscæ quæ est in extremo
fluminum Ægypti, & api quæ est in terra As-
sur: quibus nominibus Propheta duas natio-
nes designat, quæ iam inde à multis seculis a-
cerbissimum & internecinum odium in po-
pulum Dei gerebant. quemadmodum etiam
Dauid suos inimicos, apes appellat Psal. 118.

*In me coniuvent populi omni ex parte propinqui,
Dei fauentis conteram cunctos ope.*

*Circudent omnique premant ex parte licebit,
Dei fauentis conteram cunctos ope.*

*Circudent omnique premant ex parte licebit,
Quàm nube densa vere se fundunt apes.*

*Non secus ac siccas ignis violentia spinas,
Dei fauentis conteram cunctos ope.*

Conso-
lationes
quæ ex
superio-
re cōpa-
ratione
petūtur.

Inde igitur magnam consolationem capere
debemus, quum Reges, principes, & potentio-
res magnum strepitum edentes, & in nostrum
exitiū coactos in vnum omnes videmus. Supe-
rioribus enim illis muscæ & apiculæ cōpara-
tionibus, quibus Spiritus Dei per prophetam
hottium nostrorū furorē nobis exprimit, cer-
tiores fimus non maiorem illis nobis nocendi
potestatem esse concessam, quàm muscis, quæ
quidem strepitum aliquē, & susurrum edere,
& quandoque etiam aculeos figere, nec non
aliquem doloris sensum inferre possunt, sed
nihil vltra efficere queunt. Pariter etiam ho-
stes Ecclesiæ factiones inire, ferocibus & su-
perbis comminationibus magno cum strepitu
vibratis Dei Ecclesiam inceslere possunt: sed
hi sunt

hi sunt tantum velut aculei quidam quibus subinde atque identidem ad suum officium exstimuletur & excitetur: quod quidem in eo potissimum versatur, ut ad Deum precibus & vera repiscencia se recipiat. Denique nouacula sunt similes. Quemadmodum enim tonsor in refecanda barba tantum & capillis, quandoque etiam in excindendis corruptis & vitiatis corporis partibus nouacula uti solet: sic Deus non aliter tyrannis & reliquis hostibus nostris utitur, quam iis deputandis quæ in filiis Dei superfluunt aut iam obputruerunt.

Superest etiam ut aliquid de ape dicamus, nempe quod quandam Reipublicæ formam retineat, in qua omnes tam arcta inter se societate & coniunctione contineantur, ut omnibus idem sit scopus & finis propositus, conservandi scilicet totius corporis. Quapropter singulæ pro virili parte laborant in congerendo quasi in horreum frumento, ut ne quid desit quo se tueantur, armantur una omnes, sed contra hostes, nullus enim inter illas domesticis & civilibus bellis locus relinquitur. Ipsa verò apum examina, quæ totam ferè suam societatem continent, exonerandorum suorum alveorum causa, velut in colonias transcribunt. Regem denique habent quem studiosè colunt, sectantur, & quaqua versum auolarit sedulo comitantur aduolantes, & suo veluti satellitio illum stipantes, ut vim ab eo omnem propulsent. Suis etià Rex armis est instructus, suoque ut aliæ aculeo præditus, sed ornatus &

Salubre
Regibus
& subdi-
tis admo-
nitione
præbet,
simul ra-
tiones
commo-
strat qui-
bus mu-
tuam so-
cietatem
inter se
colere
possint.

dignitatis gratia tantum: utpote quem nunquam exerat, sed omnes suos subditos tanta cum humanitate & comitate regat & moderetur, ut nulla ad eos cogēdos vi opus sit. Deus Opt. Max. singulari quadam providentia sua in hoc animalculo certissimum extare voluit documentum eius officij & muneris quod regibus omnibus & principibus viris incumbit: sed ea est plerorumque vecordia, is stupor, ut his naturę non magis quam philosophorū præceptis imbui se sustineant. attamen ut quisque illorum est stolidissimus, ita maximè eminere studet, & seueriorem dominatum exercet, & in omnibus quamlibet etiam maximè iniquis, sibi tanquam tyranno cuidā vel ab inuitis morem geri imperat. Aduersum hos igitur loquebatur David his verbis Psal. 75. 5.

5. *O stultos quoties admonui, modum*

Vesana ut facerent nequitia sue!

In cælum quoties admonui impios

Ne stultè arma capefferent!

6. *Quid cælum stolidi voce laceßitis?*

Qua spe sic furitis? spiritus arrogans

Cuius presidio fretus in æthera

Cristas erigit impias?

7. *Eois coeat viribus occidens,*

Coniurent calida cum Borea plaga

Frustra diuitias, sceptri, potentiam

Cuiquam conciliauerint.

8. *Vnus rex hominum, res hominum suo*

Versans arbitrio, præcipitem trahit

Illum de solio, plebis ab infima

Hunc

Hunc face ad solium erigit.

Præcipuum verò & quod singulari obseruatione dignum reliquis vulgaribus muscis à scriptura tribuitur, hoc potissimum est, quòd Deus iis quandoque vtatur ad sua iudicia aduersus suos hostes exercenda, tum vt suæ maiestatis & potentiae magnitudinem demonstraret, tum maximè vt eorum qui aduersum se insurgunt imbecillitatem patefaciat, vt quibus non tantum sit opis vt vel muscis, vel ranis vel muribus, aut locustis resistere valeant, si quando talem exercitum ad eos delendos comparare voluerit. quod disertè etiam notatum est à Dauide Psal. 78.

Communes muscae Dei potentia & hominum imbecillitatem significat.

*Et modò pestifera per celsa palatia musca
Spicula figebant luenti tincta veneno,
Et modò flumineis squalabant arria ranis,
Et nunc bruchus edax hominumque boiūque
labores,*

Agmine nunc denso dira excedere locasta.

Et Psalm. 105.

*Terra felix ante frugum, More nunc prapostero
Turpibus fecunda ranis Squaler: ipsa regia
Fœta ranis, ipsa regum Fœta erant cubilia.*

Fusa deinde nube dēsa Musca Mēphen occulit:

Et pediculi ubique Fœda erant examina.

Et Moses in eandem sententiam Exodi 23.27
Terrorum meum mittam in præcursum tuum,
& occidam omnem populum ad quem ingredieris, cum eorumque tuorum inimicorum
coram te terga vertam. Emittens crabrones
prius qui fugabunt Heuæum & Chananæum



& Hæc æum antequam introcas.

**Itē corrup-
tionem
in mun-
dū pecca-
to inue-
ctam.**

Muscæ, vermes, mures, forices, pedones, pu-
lices ex corruptione manant: id quæ à peccato,
quod omnē putrefactionē & corruptionē in
mundū inuexit. Itaque quotiescunque istius-
modi vermiculis laboramus aut vexamur, me-
minisse nos decet nostrę in Deū à primo crea-
tionis ortu cōtumacię, vt ei nos semper subii-
cere discamus, & sūmissē de nobis sentiamus.

**Formica
fugiendū
ouū mo-
net. Pro-
uerb. 6.**

Iam ad formicā veniamus, ad quam nos sa-
pientissimus ille Rex Salomo ablegat, vt vel
ex illo animalculo norimus quanta vis sit di-
uinæ prouidentię. Vade ad formicam ô piger,
& considera vias eius, & discce sapientiam: quę
quū non habeat ducē nec præceptorē nec prin-
cipem, parat in æstate cibū sibi, & congregat
in messe quod comedat. Vsq̃uequò piger dor-
mies, quando confurges è somnō tuo? Paululū
dormies, paululū dormitabis, paululū cōferes
manus tuas, vt dormias: Et veniet tibi quasi
viator, egestas, & pauperiēs quasi vir armatus.

**Prouides
diligētes
& labo-
riosos es
se.**

Quemadmodum verò ex hoc animalculo
summam diligentiam & alacritatem in rebus
gerendis adhibendam esse intelligimus, ita e-
tiam in eodem prouidam quandam curam in
fœcundo ætatis tempore congerendis ijs vnde
sterilibus hybernis mensibus se tueatur: in quo
grauissimè peccatur ab omnis generis homi-
nibus, qui oblatas occasiones, quibus ad offi-
cium inuitantur, nimia socordia prætereunt,
easdemque amissas frustra expetunt: hinc fit vt
tam sæpe nobis in omnibus rebus vigilantiam

&

& sedulitatem inculcet Scriptura, ne subito & repentino Domini aduentu opprimamur, vt ille paterfamilias, qui à furibus sibi non metuens, securè in vtramque aurem dormit, suaque incuria & negligentia domum suam diripiendam proponit. quapropter dicebat Christus, Vigilate, nescitis enim qua hora Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, si sciret paterfamilias, qua vigilia fur venturus sit, vigilaret, nec sineret perfodi domum suam. Propterea & vos estote parati: quia qua hora non putatis, filius hominis venturus est. Quis igitur est fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super famulitium suum, vt det illis alimentum in tempore? Beatus seruus ille, quem, quum venerit dominus eius, inuenit ita facientem. Apostolus item priore ad Thessalonicenses cap. 5. vnumquëque ad eiusmodi vigilantiam & curam hortatur his verbis, Ipsi enim penitus scitis diem illum Domini, vt furem in nocte, ita venturum esse. Quum enim dicent Pax & tuta omnia, tunc repentinum eis imminet exitium, sicuti dolor partus mulieri vterum ferenti, nec effugient.

Illà verò coniunctio & vitæ communitas quæ inter formicas intercedit, eadèmq; laboris societas in conuictho penu in cellulas, eodèmq; expromendo, omnino docet homines quanta vitæ coniunctione & societate inter se contineri debeant: siquidem tot vinculis amicitie inter se coniungi & deuinciri possunt: qualia sunt eundem habere patrem, Ephes. 4.

Vitæ cō-
iunctio-
nē, pacē
& amicit-
iā mu-
tuam co-
lendam
docet.

eundem seruatorem, eundem Spiritum, eandem fidem: eodem baptismo tinctum esse, eadem spe erigi, eandem denique hæreditatem, eandem vitam expectare.

Fœneratores dā-
nat.

Nec prætereunda est summa illa solertia & industria quam formica adhibet, in mediis granis confringendis, ne si fortè è terra egerminauerint, sui alendi vim non habeant: & ad Solem exsiccandis iis quæ frequentibus & densis imbribus collegerint, ne quando corrumpantur. quod exemplum non imitantur miseri illi fœneratores qui expectata annonæ caritate, vt ex pauperum & egenorum inopia suum captent commodum, & proximorum suorum dispendio suum quarant compendium, suum frumentum in horreis tandiu asseruant vt computrescat & planè corrumpatur, sibi que aut aliis nulli sit vsui aut emolumento. Quod genus auaritiæ Deo & hominibus maximè est inuisum & exosum.

Charitā-
tē etiam
& cōmi-
serationē
erga pro-
ximum
docet.

Pietas item quæ summa inest in hoc animalculo, diligenter notanda est: suos enim captiuos redimit, vt aiunt Philosophi, & solenni ritu suos mortuos recondit humo, sola natura duce, in eo optimorum quorumque humanitatem sequens, qui huius extremi officij erga amicos nunquam sunt obliti, vt legimus ab Abrahamo agrum Ephronis emptum, in quo uxorem suam Sara sepeliret: postea verò Isaac & Ismael Abrahamum patrem suum in eodem agro Ephronis, eodémque Saræ tumulo conssepelierunt, idémque funeris officium ab

Esauo

Esauo & Iacobo Isaaco patri præstitum est, Gen. 35. necnon etiam à Iosepho & eius fratribus patri Iacobo, & Iosepho ipsi à liberis fratrum suorum. In quibus exemplis perspicua est humanitas & pietas bonorum illorum virorum, quibus summa fuit semper cura sepeliendorum parentum, fratrum, vxorum, propinquorum, & amicorum suorum.

Aranea domesticum animal & ita nobis familiare vt nulla ratione ab edibus nostris abigi queat, diuina quadam prouidentia ita comparatum videtur, vt quaqua versum intuentibus nobis peccatorum nostrorum effecta ante oculos obiciat, vt vel inuitos ad ea agnoscentia, & ingenuè confitenda impellat, vt eorum veniam consequamur.

Aranea sua im-
portunitate no-
stra nobis pecca-
ta cum eorū effe-
ctis pro-
ponit.

Quæ si regere & dissimulare pergamus, istorum animalculorum, ac maxime huius ipsius quo de agimus testimonio arguimur & rei peruincimur: nam planè contrarium est api de qua supra, vtpote quæ omnia quæ absumpsit in mellissuum liquorem transfundit, vt cõtra aranea in venenum omnia transmutat. Atque ex his animalibus quod discrimen sit inter fideles & infideles apertè cernitur, his verò nempe infidelibus omnia sunt impura: illis verò nempe fidelibus pura sunt omnia, vt ait Apostolus, epistola ad Titum cap. 1.

Infidelium imaginẽ exprimit

Vana spes hypocritarum nobis à Scriptura depingitur in tam tentui & exili aranearum tela. Sic enim Baldad Suhites lib. Iob. cap. 8. Via omnium qui obliuiscuntur Deum, & spes

Eius tela ostendit quã vana sit omnis spes hypocritarum.

H. j.

hypocritæ peribit: non ei placebit vecordia
sua, & sicut tela arancarum fiducia eius, inni-
retur super domum suam & non stabit: fulciet
eam & non cõsurgit: cui succinit David Psal.
73. loquens de hypocritis qui ore & labiis Deo
appropinquant, sed corde procul ab eo remo-
ti sunt,

*Qui te relicto, spe stolidi deos
Vanos adorant, cladibus obruis,
Te sector unum, tu superas meis
Spes una rebus, presidio tuo
Liber periculis, auctus honoribus,
Te sempiternis laudibus efferam.*

Et Psalmo 37.

*Vidi potentes impios
Grauique fastu turgidos
Virescere in star laurea
Amœna propter flumina:
Specto repente, en lubrica
Imago nusquam gloria:
Nusquam manent vestigia
Cunctis grauis potentia.*

Iuris &
legũ hu-
manarũ
violatio
nem.

Quoties extensas videmus arancarum telas
tanquam retia ad intercipiendam prædam: in
memoriam reuocare debemus dictum illud
Anacharsis: Leges similes esse arancarum te-
lis, quibus minores quidem muscæ capiuntur
& constringuntur: sed quas maiores præter-
uolant, & facillè perrumpunt. Ita etiam Magi-
stratus facillè se à potentioribus expugnari si-
nunt, in quorum gratiam iura & leges omnes
violare & perfringere non dubitent: interea
tamen

tamen ut aliquod æquitatis & severitatis nomen retineant: si quis mendicus aut vilis alius quispiam homuncio crumenam in medio foro absiderit, suspendio plectitur. Hæc *πορρω-
αλν-ψα*, & quæcunque eiusmodi ratio habetur potentiorum in foro iudicali, Deo est maxime iniusta, à quo diserte in Lege & Prophetarum sexcentis locis damnatur. Exod. 18. Deuter. 1. & eiusmodi iudiciorum corruptelas, quæ passim vigent, grauissimè notat David Psal. 82. his verbis,

Regum timendorum, in proprios greges,

Reges in ipsos imperium est Iona,

Qui iudicantur examinabit

Nequitiam trutina severa.

Nam fraudulentos semper & impios

(Inquit) dolosa lance fouebitis?

Pauperque pupillusque vestrum,

Censcopulum, metuet tribunal?

Quin orbitem cernitis anxiam?

Aurem querelis quam inopum datis?

Cur pauperes non à superbo

Ludibrio asseritis potentum?

Frustrà monemus: lumina cecitas

Errorque mentes obsidet: ut neque

Compaginem rerum solutam

Iustitia pereunte cernant.

Deos vocavi vos, dominos necis

Vitaq; feci: sceptrifera manu

Pacem dedi tueri, & armis

Lethiferum cohibere bellum.

At mors iniqua iusta superbia

Iniquitas
in iudi-
ciis diser-
tè verbo
Dei dam-
nata ut
pluribus
sequenti-
bus testi-
moniis
cuiinci-
tur.

H. ij.

*Vlrix honores detrahet, & pari
Ignobili cum plebe fato*

Purpureos rapiet tyrannos.

Et Psalmo 99.

*Ergo te meritis tollat honoribus,
Augustum celebret gens hominum tuum
Nomen, qui salubri temperie modum*

Sceptris constituas tuis.

*Selecta soboli qui populi tui
Ius nullis dederis mobile seculis:
Frenas iustitia qui moderamine*

Aquali genus Isaaci.

Et Psal. 33.

*Quippe qui iusti est & amator equi, &
Veri fallere nescij.*

Et Psalmo 11.

Et lucido astrorum in solio sedens,

Humana per terras acutis

Facta oculis speculatur omnes.

Non iustus illum, non latet impius

Cuncta intuentem, sed studio ad nefas

Pronos maligno iustus orbis

Ex animo moderator odit.

Et Psalmo 72. Salomo qui erat typus Iesu Christi eo nomine maximè laudatur quòd summa æquitate ius exerceret, citra vllâ hominum rationem, siue pauperum, siue diuitum, nobilium aut ignobilium, incolarum loci aut peregrinorum: eandem apud omnes æquitatem seruabat, & eodem omnes ordine habebat, vt ex suprâ citato psalmo liquidò constat, vbi docet se regni habenas tenente, tam bene omnia

omnia fuisse constituta, vt nihil omnino desiderari potuisse videretur,

*Pace latentur iuga montiumque
Horridi saltus: genitrix quietis
Æquitas colles amet, asperòsque
Ruris alumnos.*

*Ius suum det pauperibus, potentum
Curet vt ne vi tenues premantur,
Destruat quisquis miseros dolosis
Litibus urget.*

Et paulò post.

*Ille desertos ope subleuabit:
Eximet curis querulos: egeno &
Pauperi dextram dabit: obrutosque
Fœnore soluet.*

*Nec velut vilem tenuis cruorem
Plebis effundi sinet.*

Istis etiam iuris & legum violatoribus, diuina Isa. 10.
authoritate fretus, diras imprecatur Isaias, Væ
qui condunt leges iniquas, & scribes iniu-
stitiam scripserunt, vt opprimerent in iudicio
pauperes, & vim facerent causæ humilium
populi mei: vt essent viduæ præda eorum, &
pupillos deriperent. Quid facietis in die visi-
tationis, & calamitatis de longè venientis? ad
cuius confugietis auxilium, & vbi derelinque-
tis gloriam vestram? Oseas item simili ratione Ose. 5.
expostulat cum Sacerdotibus & domesticis
Regis. Audite hoc, inquit, Sacerdotes, & at-
tendite domus Israel, & domus regis ausculta-
te: quia vobis iudicium est, quoniam laqueus
facti estis speculationi, & sicut rete expansum

H. iiij.



subter Thabor. Dauid itē in eiusmodi iniquos
homines grauissimis verbis inuehitur, Pl. 94.

*O fraudis ultor, sceleris ô vindex Deus,
Ostende nunc impios contra tuum,
O iuste index orbis expurgare,
Meritisque poenis reprime arrogantiam.
Quousque tandem rector orbis optime,
Sese superbe iactitabunt impii?
Deuota sceleri factio in scelere suo
Plaudit, sibi que fabulis stultis placet.
Tuūque populum pedibus interim premunt,
Tuam proteruē hereditatem proterunt:
Viduam trucidant, aduenāque, & omnibus
Parente cassos obruunt molestis.
Secūmque mustant hac Deus non aspicit,
Necfanda prorsus & nefanda intelligit.
Gens ergo bruta penitus ignorantia
Obsessa pectus somnolentum, discute
Animi veterum & cogita tecum, Deus
Qui fecit aures, surdus est? qui luminum
Formauit orbis, ipse nil videt? vagas
Sine lege gentes recta qui sequi docet,
Non is suorum puniet scelera, quibus
Oracula legum sacrosancta credidit?*

Porcus.

In domesticis animalibus porcus etiam re-
censetur: in quo duo præclara documenta no-
bis proponuntur, quorum vno monemur
nos minimè in hunc finem creatos fuisse & in
mundo collocatos, vt in eo duntaxat viuamus
& porcorum instar faginemur, qui ventri tan-
tū & abdomini inferuiunt & otio impin-
guantur, vt deinde in luto jacentes altum ster-
tant

tant, fragrantissima quæque eiusmodi lulentis locis post habentes, & sterco & lotium pro delicijs ciborum habentes. Nimiùm multi sunt hac nostra tempestate qui suillum ingenium hac in parte referant, qui nihil agunt, nihil aliud cogitât, quandiu hic viuunt, quàm vt curem curent & genio indulgeant, os mensæ, tergum foco, vitrum nafo admoueât, mollior decumbant, mente denique & animo Epicuri opinionem de summo bono in voluptate & ab omni labore & anxietate animi secura vita constituendo imbibant. Hæc nimirum est tota illorum felicitatis summa, quam votis omnibus expetunt. Amos Propheta perditam istam Libertinorum & Epicureorum vitam perstringit his verbis. Væ vobis qui opulenti estis in Sion, & confiditis in môte Samariæ, optimates capita populorum, ingredienti summa cum pompa domum Israel. Transite in Chalanne & videte, & ite inde in Emath magnam, & descendite in Geth Palæstinorum, & ad optima quoque regna horum: si latior terminus eorum termino vestro est. Qui separati estis in diem malū & appropinquatis folio iniquitatis. Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege & vitulos de medio armeti. Qui canitis ad vocem Psalterij, sicut David, putauerūt se habere vasa cantici: bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph. Quapropter nunc migrabunt in

Imaginē
helleonū
quibus
veter est
pro Deo
expri-
mit.

H iiii

capite transmigratium, & auferetur factio lasciuientium: à quo genere hominum abhorrēs Dauid, petit à Deo vt quàm longissimè ab eis remoueat. Verba sunt eius hæc ex Psal. 17.

*Ne sine vt me vi premat impotentum
Dinitum fastus, quibus vna cura est,
Dum licet, blanda illecebras caducas
Carpere vita.*

*His opes terris penitus refoßis
De penu fundis locuplete, ventri
Sufficis fruges, hilarasque multa
Prole penates.*

*Puritas vita mihi te tueri
Corporis vinculis tribuet soluto.
Illa lux verò faciet me ab omni
Parte beatum.*

Fugiendi Istorum hominum consuetudinē cane peius & Epicurei angue odisse debemus. Sunt enim cōtemp- & solu- res numinis, qui religionem omnem, verbum tionis vi- Dei, Ecclesiam, & sacra omnia pro ludibrio nes. habent: quam ob causam monebat Christus Matt. 7. suos discipulos vt ab illorum consortio abstinerent. Ne date, inquit, quod sanctū est, canibus, nec proiicite margaritas vestras coram porcis, nequando conculcent eas pedibus suis, & conuerſi lacerent vos: quæ cauiā mouit Dauidem vt hæc hominum monstra toto animo execraretur & defugeret, vt ipse testatur Psalm. 119. Et Psalm. 26.

*Procul faceßat, nec socium sibi
Me vana speret lingua: procul domo:
Nostra recedat, qui didicit suos*

Fuca-

Fucare sensus pectore subdolo.

Odi scelestum concilia, impios

Cæcis veneno peius abominor:

Quorum resultant pectora gaudio,

Quum perpetrarunt facta nefaria.

Scriptura item in porcis Apostatarum imaginem intuendam nobis proponit: qui postquam donum cœleste degultarunt, & verbo Dei illustrati sunt, & spiritus sancti participes facti sunt, & multū diūque in Ecclesia versati sunt, ultro ab ea descuerunt, ad suam idolomaniam, impietatem, superstitionem, hæreses, errores, totamque illam Antichristi abominationem resilierunt, bonorum suorum, honorum & dignitatum aut commodioris viuendi facultatis iacturā solummodò metuentes. Qua in re, vt ait Petrus, canem & porcū imitati sunt, si postquam inquinamenta mundi, per agnitionem Domini & Seruatoris Iesu Christi effugerint, his rursus superentur, facta est vltima eorum cōditio deterior priorē. Sarius enim fuisset eis non cognouisse viam iustitiæ, quàm cognita illa, regredi à sancta doctrina ipsis tradita. Sed accidit eis quod veteri prouerbio dici solet, Canis reuerſus est ad suum ipsius vomitum, & sus lota, ad volutabrum cœni: à quibus hominibus abhorrens Dauid, de illis hæc canebat,

Porcus
imaginē
Apostatarū
subiicit.

Pet. 2. 4.

Rumpor ira, quum scelestis impiè contemnitur:

Sermo purus instar ignis: seruus hūc amat tuus.

Impij spernant licebit me, tuam legem sequar.

Itémque alibi eodem Psalmo.

*Sis memor pacti, columna quæ meæ fiducia est:
Quod leuat inærentem, & ægrum è fauce mortis
eripit.*

*Rideant licet superbi, te sequar: legem tuam
Vsq̃ue repetam, in rebus artis hoc erit solatium.
Impios cùm legis hostes cerno, totus horreo.*

A dome-
sticis ad
fera trās-
it ani-
malia.

Cervus.

Imago
fidelium
sub cru-
ce.

Haftenus de domesticis animalibus egimus, in
quibus vtcunque demonstrauius quantope-
re se diuina prouidentia in suorum electorum
commodū & salutem exeruerit & etiamnum
hodie exerat: Ad fera iam transeamus eorū-
que species aliquot quàm breuissimè à nobis
fieri poterit perstringamus: vt ea quoque à
Deo condita esse, parique ab eo cura ac supe-
riora, conseruari doceamus, vt suorum electo-
rum bono inseruiāt: ac primū de ceruo di-
cendum, qui quum à canibus exigitur, & illa
exagitatione totus iam incaluit, aquarum re-
frigeria maximè expetit & persequitur: sic
quoties à tyrannis exagitantur fideles, nihil a-
liud magis in votis habent quàm vt sacris Ec-
clesiæ conuentibus intersint, in quibus conso-
lationes & animi quasi refrigeria captent, vel
ipso teste Dauide Psal. 42.

*Non ceruus flumens sic auet algidos,
(Cervus turba canum quem premit) vt
Cor desiderio carpitur anxio,
Rerum conditor optime.*

*Huc me raptat amor dulcis, & impotens
Ardor ferre moras. O nuncum diem
Qui templo reducem me statuet tuo?
O lucis inbar aureum.*

Et

Et Psalm. 84. in eandem sententiam.

O rex armipotens qui creperos tuo

Bellorum arbitrio diuis exitus,

Ego lumina templi

Letus conspiciam tui.

Hic cor letitia palpitat: hic bonis

Languet mens nimis ebria, gestiunt

Artus, atria vini

Visuripropius Dei.

Hic passer latebras inuenit, hic locat

Nidum veris auis nuntia, O atria

Regis bellipotentis

Vt vos aspiciam libens?

Felix qui domui perpetuo tua

Herens te celebrat: qui penitus suam

In te spem posuerunt

Felices ter & amplius.

Timidorum item in Ecclesia naturam refert Timido-
Cervus. Cum enim cornua habeat quibus non rum qui
modo se tueri & vim propulsare queat, sed sunt in
quibus etiam vel immanissimas quasque & cru- Ecclesia.
delissimas bestias adoriri possit, solo tamen vel
catuli unius latratu, diffugit ocyus, protinus
obliuiscens sibi à natura ad sui defensionem
tela esse concessa. Ita etiam plures sunt in Ec-
clesia, qui immemores diuinæ opis, præsentia,
gratiæ, obliti item promissionum Dei, fauoris
Spiritus & verbi, quibus armis instructi ad-
uersus omnes mundi, tyrannorum, Diaboli,
ipforumque ad eo inferorū impetus & insultus
inuieti perstare possent & intrepidi, nihilomi-
nus tamen, quæ summa est illorum ignauia

& mollities animi, scuto & armis, quod aiunt, abiectis, prima hostium denuntiatione, ultro se dedunt.

Aper Ec-
clesiæ per
sequuto-
rum ima-
ginē re-
fert.

Ad aprum veniamus, quo in Scripturis bar-
bari & feri Ecclesiæ persecutores significātur.
quemadmodum enim aper frendens in ob-
uios quosque summo impetu irruit. Eodem
prorsus modo tyranni se aduersus Ecclesiam
Dei gerunt, quam pari rabie exagitant & ad
summum exitium & vastitatem vocant, effre-
ni libidine, sine modo & ratione in eam sæ-
uiantes, & acerbis odiis, quibus se totos abripi
sinunt, eam grauissimè exercentes. Quod bene
annotatum est à Dauide Psalm. 80. vbi de Ec-
clesia sic loquitur,

*Nudatam solitis cur modo sepibus,
In pradam hospitibus deseris hanc vagis?
Cur hanc saeuus aper proterit? alites
Carpunt? omnigene depopulant fera?
O Rex omnipotens, obsecro iam redi
Tandem, & sidereo prospice de throno:
Placatusque tuam respice vineam,
Plantaras propria quam tibi dextera.
Hunc saltem placidus respice ramulum,
Cui cultu assiduo conciliaueras
Robur, clara tui gloria nominis
Terrarum ut populis nota sit omnium.
Illic flamma vorat brachia vitium:
Hic conuulsa gemunt: cæsa bipennibus
Hic duris resonant: omnia pessum eunt.
Ire iusta tua nos premis ultio.
Indulgens genitor nunc ope subleua:*

Prima

*Firma praesidio nunc propius tuo
Hunc, vires & opes & decus antea
Affectu patrio cui cumulaveras.*

Luporum item meminit Scriptura quibus
pseudoprophetae notantur, qui in Ecclesia tan-
quam oves ingrediuntur, quod ad externam
speciem attinet, intrinsecus vero lupi sunt ra-
paces: nec minus afferunt ouili Christi da-
mnū, quum in illud se insinuant, quā lupi in
mediis ouium & agnorum gregibus grassan-
tes. Quinetiam crudeliores sunt & magis for-
midandi, praesertim quum animas hominum
ad Dei exemplar efficit orū occidant, sylvestres
autem lupi ouium & aliorum animantium cor-
pora modò quae inuaserint, perimāt. Ab his vt
caueamus monet Christus Matt. 70. suisque
eos notis, quibus facilius internoscatur, nobis
depingit, Vos, inquit, suos compellans disci-
pulos, ex fructibus eorum agnoscetis eos, Num
colligunt ex spinis vnam, aut ex tribulis ficus?
Ita omnis arbor bona fert fructus bonos, pu-
tris autem arbor fert fructus malos. Nō potest
arbor bona fructus malos ferre: neque arbor
putris fructus bonos ferre. Quaecunque arbor
non fert fructum bonum, exciditur, & in ignē
coniicitur. Nempe igitur ex fructibus ipsorum
agnoscetis eos. D. item Paulus ministros & pa-
stores & seniores Ecclesiae Ephesinae alloquēs,
post varios sermones quibus illis suum offi-
cium commendabat, hęc tandem subiicit, At-
tendite igitur vos ipsos, & totum gregem in
quo vos Spiritus sanctus constituit Episco-

Lupi
pseudo-
prophetae
signi-
ficant.

pos, ad pascendam Ecclesiam Dei, quam proprio illo sanguine acquisiuit. Ego enim hoc noui, post discessum meum, lupos graues, non parcentes gregi, ingressuros esse in vos, Et ex vobis ipsis exorituros qui loquantur peruersa, vt discipulos post se abstrahant: Ideo vigilate memores me per triennium nocte & die non cessasse cum lacrymis monere vnumquemque. Hæ tum Iesu Christi, tum eius Apostoli admonitiones, præter quotidianam rerum experientiam satis superque **docent, quantum** detrimentum & exitium Ecclesiæ Dei imminet à falsis prophetis, sicubi locum habeant: maximè verò quum in aliquam dignitatem euecti sunt, vt exemplis Arrij, Nestorij, & eius farinæ hominum patet: qui præclaras illas & celeberrimas Orientis Ecclesias, Alexandrinas, Ierosolymitanas, Antiochenas, Constantinopolitanas, Ephesinas, grauissimè cõcusserrunt, suisque illis factionibus effecerunt vt tandem in Mahumetani Antichristi Orientalis ditionem & potestatem venerint. Diligenter igitur aduigilandum est nobis, ne perditii isti seductores in Ecclesiam tanquam serpentes irrepant, illorum item doctrinam accuratè expendere & excutere, & sedulò in mores & vitam eorum omnium qui ad Ecclesiasticas functiones aspirant, inquirere debemus.

Ad ea quæ de lupis dicta sunt, pertinent illa quæ Iesus Christus suis discipulis, quos ad promulgandum Euangelium mittebat, discretis hæc verbis præscribebat, Mitto vos tanquam

Et perse-
quutores
fidelium.
Matt. 10.

quam oues in medium luporum: vt significaret periculum, quod cum munere ipsorū coniunctum esset, tantum esse quantum ouicula inter medios lupos degentis: vt maturè constantia, patientia, robore & virtutum omnium agmine se communirent, & ad fidei suæ confirmationem plurimis Scripturæ locis abundè se instruerent, ne si quando vndiquaque se circumsessos teneri viderent, subita formidine perculsi animo conciderent.

Hic etiam obseruandum est, quanto ingrati animi vitio laborèt homines erga pastores, qui ad ipsos à Deo mittuntur, tanquam salutis & gratiæ diuinæ præcones. Nā quos beneuolo & hilari vultu excipere deberèt, præ lætitia exclamantes cū Isaia, O quàm pulchri pedes eorum qui annuntiant pacem, eorum inquā qui bona nuntia ferunt, eos tamen, vt immanes lupi misellas ouiculas solent, perinde accipiūt, ferro nimirum & igni eos persequentes, & ad internecionem vocantes.

Nec prætereunda sunt quæ ab Isaia de summa sub regno Christi futura hominum felicitate, coniunctione, pace, & concordia Ecclesiæ dicuntur, & eleganti allegoria describuntur, Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eū Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis. Et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum

Et vocationem
maximo
rū quorumque
peccatorū & persequutorum ad
cognitionem Dei.
Isa. 2.

aurium arguet. Sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in equitate pro mansueris terræ: & percutiet terram virga oris sui, & spiritum labiorum suorum interficiet impium. Et erit iustitia cingulum lumborum eius: & fides cinctorium renum eius. Habitabit Lupus cum Agno: & Pardus cum Hædo accubabit: Vitulus & Leo, & Ovis simul morabuntur, & puer paruulus ducet eos. Vitulus & Vrsus pascentur: simul requiescent Catuli eorum: & Leo quasi Bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramina aspidis, & in cauerna reguli qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt & non occident in vniuerso monte sancto meo: quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientis.

Vulpes
hypocri-
tarum in
geniū re-
fert.

Ad vulpem accedamus: quæ quidem est cal-
lida, & singulari astutia prædam agit. Scrip-
ta in ra cauto isto & versipelli animali hypocritas
signat, qui in Ecclesia omnia deuastant & di-
ripiunt, solam pietatis speciem præ se feren-
tes, quam re ipsa eiurant, qui licet religionis
studiosi videantur, omnem tamen religionem
clanculum conuellunt & labefactant: quam
ob causam Salomo in suis Canticis piissi-
mos quosque ab his vt caueant monet, eosque
vt ex occultis, quibus latitant tenebris, in a-
pertam lucem extrahant, & consilia eorundem
irrita faciant, hortatur, quum ita loquentem
sponsum inducit. Capite nobis vulpeculas quæ
demoliuntur vineas, nam vinea nostra floruit.
Quod si factitatum fuisset in Ecclesia Roma-

na,

Cap. 2.

na, non tanta rerum confusio & *ἀταξία* in eam fuisset inuecta, quanta iam cernitur, & in ea nascendi, adolescendi, & ætate procedendi locus nullus Antichristo relictus fuisset: fucata enim & simulata pietate in illud dignitatis fastigium conscendit, in quo nunc constitutum videmus, vt meritò dictum sit & scriptum de quodam eius ordinis Pontificum Romanorum, nempe de Bonifacio octauo, cum videlicet tanquam vulpeculam, in Pontificiam dignitatem irrepsisse, regnasse vt leonem, mortuum esse vt canem.

Considerandum & illud quod à Christo dicitur, vulpes lustra habere, & volucres cœli nidus, Filium autem hominis non habere vbi caput reclinet: quibus verbis partim significare voluit quousque se vt nos extolleret, deiecerit: vt copiosius id declaratur, 2. ad Philip. partim etiam notare ingratos, & ab omni hospitalitate alienos hominum animos, qui de Seruatore & totius terrarum orbis Domino liberalliter suo hospitio excipiendo minimum omnium laborant: denique significare voluit quæ esset conditio præconum Euangelij, qui sæpe tanquam erronei quidam passim vagantur, nec tutum vsquam locum habent, in quo sedes figant, tamen si Deus sua prouidentia illorum egestati semper prospiciat, illisq; omnibus & singulis victum & vestitum suppeditet, vt sapientissimè Paulus posteriore ad Corinthios cap. 4. differit. Habemus autem thesaurum hunc in testaceis vasculis, vt eius vir-

Speluncæ
earū dam-
nāt & gra-
uiter ac-
cusant
eos qui
Christo
& eius
seruis o-
stium occlu-
dunt.

I. j.

tutis præstantia sit Dei, & non ex nobis: Dum in omnibus premimur, at non coarctamur: hæsitamus, at non prorsus heremus. Persequutionem patimur, sed in ea non deserimur: deicimur, at non perimus: quolibet mortificationem Domini Iesu in corpore circumferentes, vt etiã vita illa Iesu manifesta fiat in mortali carne nostra.

Vulpes
imaginẽ
dissimu-
latorũ &
occulto-
rũ Eccle-
się hostiũ
præfert.

Atque vt huic tandem de vulpecula sermoni finem imponamus, ea non sunt omit- tenda quæ Luc. 13. scripta commemorantur, nempe quòd quidam Phariseorum ad Christũ accesserint, dicẽtes ei, Exi & abi hinc: nam Herodes vult te trucidare. Tunc ait eis, Profe- cti dicite vulpi illi, Ecce eijciam dæmonia & sanationes peragam hodie & cras, & tertia die consummabor. Verumtamen oportet me hodie & cras & perendie iter facere, quia fieri nõ potest vt propheta pereat extra Ierusalem. Hic verò duo sunt obseruanda: quorum prius est hoc, seruos Dei legitimè in sua vocatione ambulantes, ita duci & protegi diuina prouidentia in omnibus suis viis, vt ne tantillum quidem illis Reges, aut Satan ipse cũ toto suo satellitio nocere possit, nisi quatenus Deus permittit agat faciãtve vt ipsi libuerit: posterius est hoc notatu dignum, vitium nempe huius regis quod tacitè a Christo carpitur, quum vulpem appellat, hoc innuens illum esse dissimulatorem vaftrum, subdolum & versipellem: quæ vitia à principum virorũ dignitate prorsus sunt aliena: quos candor animi, vitæ integritas,

gritas, factorum & dictorum veritas atque constantia maximè decet. Omnis enim simulatio & verborum fucus, Diaboli est & improborum, non autem Dei aut eius filiorum proprius & familiaris.

De Leone verò iam aliquid dicendum est, Leo hūc vt intelligamus quomodo Deus immanissima ista bellua vtatur, vt suæ providentiæ viam & aditum sternat: id quod perspicuum est in exemplo Danielis, qui iussu & mandato Darij, calumniis & falsis criminationibus suorum, Danieli tantas virtutes, & tantam dignitatem, qua apud Regem pollebat, invidentium, in leonum speluncam demissus, eorum crudelissimis faucibus ereptus ita fuit & liberatus, vt nulla sui parte læsus aut sauciatus fuerit; quum eius inimici iusta Dei vindicta, in eandem speluncam detrusi, è qua extractus fuerat Dei servus, antequam in imam speluncæ partem in qua leones erant, delapsi fuissent, protinus ab eis correpti, discerpti & comminuti fuerint. quo exemplo euincitur quàm sapienter Deus suis creaturis ad suorum conservationem & defensionem vtatur, easdémque suis hostibus perdendis adhibeat, ea nimirum providentia quæ nobis duobus diuersis in locis à Dauide proponitur, ac primùm Psalmo 33.

At Deus iustos oculo irretorto

Semper respicit & pios:

Mortis vt vertat iacula imminentis,

Diram & sanitiam famis.

I. ij.

Leo hūc
vsum præ
stat Deo
vt suos
seruos cō
firmet,
hostes ve
rò discer
pat.

Deinde Psalmo 34.

*Deus innocentes adspicitque & commodat
Intentus aures ad preces.
Toruoscelestos intuetur lumine,
Et nomen etiam obliterat.*

Præterea in Scripturis videmus, vti Deus crudelissimas istas feras immiserit ad eos trucidandos qui in ipsum erant contumaces, idque ex denuntiatione earum minarum quæ in lege continentur, quemadmodum cõrigit ei Prophetæ cuius mentio fit priore Regum cap. 13. qui quum ex Iuda in Bethel missus fuisset cum mandato Dei, vt inueheretur in altare quod in eo loco à Ieroboamo erectũ fuerat, à pseudopropheta circumuentus & ab eo quod acceperat à Deo antequam in illum locum profectus fuisset, mandato, de nullo ibi cibo vel potu sumendo, mandato abductus, à Leone in via domum reuertens occisus est. Similiter etiam posteriore Regum cap. 17. hæc referuntur: Quum Rex Assyriorum viros adduxisset Babylone, Cutha, Ahaiath, & Emath, & Sapharuaïm, & collocasset eos in ciuitatibus Samariæ pro filiis Israel, qui possederunt Samariam, & habitauerunt in vrbibus eius: Quumque ibi habitare cõpissent, non timebant Dominum: & immisit eis Dominus leones qui interficiebant eos, nuntiaturumque est regi Assyriorum, & dictum, Gentes quas transtulisti & habitare fecisti in ciuitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ, & immisit in eos Dominus leones: & ecce interficiunt eos, eo quod igno-

ignorent ritum Dei terræ.

Leo rugiens ad prædam, similitudinem Diaboli nobis exhibet, perpetuò gregem Christi circumfeditis, & circumbeuntis, ut aliquā ouiculam auferat & deglutiat si possit: quapropter Apostolus vnumquemque ad sobrietatem, vigilantiam & sumendum fidei clypeū hortatur, ut firmi stemus fortiter ei resistentes. Nam si leo suo fremitu & rugitu, tantum terrorem hominibus incutit, ut eos ad quascunque quærendas latebras vitandi sui furoris causa compellat: quanto in Diaboli longè quibuslibet leonibus quantumvis immanibus callidioris & formidolosioris declinandis insidiis vigilantiores esse debemus? Sed fideles egregiam promissionem habent quam aduersus teterrimarum istarum belluarum furores & terrores opponere possunt, quæ à Dauide Psal. 91. proponitur his verbis,

Leo rugiens Sa-
tanam ad
umbrat.

Securus arras inter & aspidēs

Deges, ferarum & pignora tigridum:

Tutusque calcabis dracones,

Et Libyæ catulos leonæ.

Observat (inquit) me, Deus, vnicè: &

Honore nomen prosequitur meum:

Laboriosis hunc vicissim

Incolumem eripiam periculis.

Præsens vocanti subsidium feram,

Et imminenti rebus in asperis

Fato eximam, exemptoque honorum

Eximium decus arrogabo.

Faxo virenti robore transigat

I. iij.

Sera senecta tempora suauiter:

Meosque monstrabo beare

Qua soleam ratione amicos.

Neque solum hac promissione fideles freti esse debent, sed etiam planè sibi persuadeant oportet, futurum ut suum apud illos effectum fortietur: seque non modò còtra leones, sed etiam contra alias truculentissimas quasque & atrocissimas bestias victores tandem euafuros. quod vel in vno Dauide, Saulèm solo Goliathi conspectu perterritum, ita cum reliquis suis militibus pari metu perculsis confirmante, non obscure perspicitur. Non concidat cor cuiusquam in eo, ego seruus tuus vadam & pugnabo aduersus Philisthæum: Et ait Saul ad Dauid, Non vales resistere Philistæo isti, nec pugnare aduersus eum: quia puer es: 1. Sam. 17. hic autè vir bellator est ab adolescètia sua. Dixitque Dauid ad Saul, Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis: Et persequabar eos, & percutiebam, eruebámque de ore eorum. Et illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam interficiebámque eos. Nam & leonem & vrsum interfeci ego seruus tuus: erit igitur & Philisthæus hic incircuncisus, quasi vnus ex eis. Nunc vadam & auferam opprobrium populi: quoniam quis est iste Philisthæus incircuncisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viuentis? Et ait Dauid,
Do-

Dominus qui eripuit me de vngue leonis & de vngue vrsi, ipse me liberabit de manu Philisthæi huius. Dixit autem Saul ad David, Vade & Dominus tecum sit.

Ad vrsu[m] veniamus, cum quo Deus etiam ^{Vrsus.} aliquatenus se vt cum leone alibi conferre solet, vt formidinem improbis iniiciat, suique iudicii seueritatem illis proponat, eamque ineuitabilem, vbi illam in ipsos exercere voluerit, vt ait Propheta Amos capite 5. suæ prophetiæ, Væ desiderantibus diem Domini: ad quid eam vobis? dies Domini ista tenebræ & non lux. Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus: & ingrediatur domū, & innitatur manu sua super parietem, & mordeat eum coluber. Posteriore Regum capite secundo de Elisæo com- ^{Deo in-} memoratur, quod quum ascendisset, in Bethel per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei dicentes, Ascende calue, ascende calue. Qui quum respexisset vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egressique sunt duo vrsi de saltu & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.

In quo exemplo multa notatu digna sunt. primum Deum seuerissimum esse in suorum ^{Quid no-} feruorum contemptu vindicando, quippe, ^{tandū sit} qui ne puerulis quidem parcat qui eos despi- ^{in hoc e-} catui habent. Præterea illud etiam obseruan- ^{xemplo.} dum est, feras cæcomotu quodam diuinæ Providentiæ impelli ad iusta sua iudicia in

I. iiij.

Eph. 6.

improbos exequenda, atque ad eò in teneriore
 pueritiæ ipsius ætatem, quoties malè educata
 aut instituta insolètior facta fuerit: quod præ-
 claro est documento parentibus, ut eos in do-
 ctrina & admonitione Domini instituant, il-
 losque & in pueritiâ & in adolescentiâ sub ri-
 gido severæ disciplinæ iugo semper contine-
 ant. nimia enim parètum erga infimam illam
 ætatem indulgentia, omnem illi adultiori
 iam factæ ad peccandum licentiam tribuit, ut
 Dei iugum omnino ferre recusent, & omne
 eorum qui ipsis præficiuntur imperium detre-
 dent. Quibus suo exemplo quomodo se in hac
 parte gerere debeant, præscribit David Psal-
 mo 34.

Adeste filij, audite, vobis numinis

Verum timorem ut indicem.

Quicumque curis liberam & longam cupis

Vitam beatus ducere:

Lingua refræna virus, os nefaria

A fraude purum contine:

Capeffe recta: curva vita, dilige

Tranquilla pacis otia &c.

Atque utinam parentibus curæ esset hanc suis
 liberis lectione inculcare: fœlicius enim cum
 illis ageretur, & cum Rebus publicis, & cum
 Ecclesiis ipsis, in quas tot tâtaque scâdala non
 obreperent, qualia sunt quæ quotidie ab ado-
 lescentibus proficiuntur, quorû maxima pars
 nullis legum vinculis coerceri potest, ut iu-
 gum omne planè excussisse videatur.

Ad pisces transeamus. de quibus vnum
 ran-

tantum aut alterum locum brevitatis causa commemorabimus, ut in iis quoque non obscura diuinæ providentiæ testimonia extare demonstremus. Inter alia exempla celebre est illud immanis illius piscis, quo absorptus fuit Ionas, eiusque immani aluo tres dies & tres noctes contentus, sine ullo valetudinis aut vitæ suæ dispendio. Deus enim qui primum ingens illud & horrendum monstrum compararat, quo Ionas absorberetur, ut hoc pacto ad sui peccati agnitionem impelleretur, quod gravissimum commiserat, dum præter Dei mandatum Niniuā se non contulisset, vix iam primum culpam agnoscentis idem Deus miseratus, Pesci iussit ut ad littus Ionam egeret, ubi multa ad nostram instructionem obferuanda sunt.

Pisces
providē-
tiæ diui-
næ lucu-
lentū te-
stimoniū
reddunt.

Imma-
nia Cete
Iona. 2 &
3.

Primum illud notandum est quod Ionas hu- manum iudicium & proprium animi motum, nō autem ducem authorem Deum sequi voluerit, cuius consilium nescio quibus ambagibus quum se subterfugere posse putaret, sua spe frustratus est. nam quasunque tandem animo commentatus fuisset rationes, quibus Dei mādatum cluderet, eō vel inuitus perductus est, ut Dei voluntatem exequeretur: cuius semper est certa & fixa ratio, quicquid secus si- bi fingant homines: quemadmodum ait Da- uid Psal. 138.

Doctrina
quæ ex
historia
Iona pe-
titur pri-
ma.

*Te, quacunque patet tellus circumflua ponto,
Reges ferebuntur Deum,
Quum sine labe fidem*

*Audierint: rursusque tuos super aethera cantu
Ferent, tuaq; gloria
Ad iubar atttoniti.*

Et Psalm. 33.

*At quod arcana sibi mente rerum
Auctor proposuit semel,
Dum dies & nox referent se in orbem
Vsq; immobile permanet:*

Secundum est, quod quemadmodum pericul-
osum est temerè, se ultro in aliquod munus
obtrudere, & Dei vocationem præcurrere, ita
non minùs periculosum est Deo vocanti ob-
luctari, aut imperati aliquid morem non ge-
rere, aut aliquò mittente nos ipso, pedem re-
ferre. Id quod ex hac historia Ionæ cuius per-
spicuum est. qui fugiens à facie Dei, in extre-
mum venit discrimen.

Tertiū,
quod sin-
gularem
Dei pro-
videntiā
in pisce
confide-
randam
exhibet.

Tertium est summum illud obsequiū quod
Dei voluntati & verbo prodigiosus ille & im-
manis piscis præstitit: qui simul ac iussus fuit à
Deo, protinus Ionam voravit: & cū eum sal-
uum & incolumē tres dies & totidem noctes
in aluo suo conclusum fouisset, eodem Dei
mandato parens illico Ionam eructavit. Quod
certè à nobis omnem torporem omnēque
moram in Dei mandatis obeundis excutere
deberet, si quidem tātā illorum ingentium
monstrorum in obsequio Deo præstando ala-
critatem cernimus.

Piscis fe-
rens sta-
terem.

Occurrit etiam aliud memorandum & no-
tatu dignum, in quo Dei providentiam sum-
mam in eo pisce intucamur, de quo Matt. 77.

agitur

agitur, vbi Christus, vt exsolueret tributum ordinarium quod viritim subditis omnibus Romani imperij impositū erat, Petro iussit vt profectus ad mare, mitteret hamū, & eum piscem qui ascendisset primus, tolleret, fore vt aperto ore eius, inueniret staterem quem acceptum daret pro vtroque. Vbi notandum est Deum nihil latere, etiam eorum quæ abstrusissima videantur, eumque specialem quādam curam gerere suorum electorum vt ne quid desit eorum quæ ipsis necessaria sunt.

Hæc cura Dei luculentiùs etiam nobis exhibetur in præclaro illo Christi miraculo tum edito, quum magna hominū multitudo ipsum sequeretur, cui nulla coëmendorum ciborum facultas suppetebat, cuius proinde misertus petiit à discipulo suo Philippo, Vnde ememus panes vt isti vescantur? Respondit ei Philippus, Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt singuli eorum paululum quiddam accipiant: Dicit ei vnus ex discipulis eius, nempe Andreas, frater Sijmonis Petri, Est hîc puerulus quidam, qui habet quinque panes hordeaceos & duos pisciculos: sed hæc quid sunt inter tam multos: Dixit autem Iesus, Facite vt isti discumbant. Erat autem gramen multū in eo loco. Discubuerūt ergo viri numero quinquies mille. Accepit autem panes illos Iesus, & actis gratiis distribuit discipulis, discipuli verò accubentibus: similiter etiā ex pisciculis illis quātum volebant. Vt autem expleti sunt, dixit Iesus discipulis suis, Cogite quæ su-

Pisces
quibus
tot mil-
lia homi-
num à
Christo
pasci sūt.
Iohan. 6.

perfuerunt fragmenta, ne quid pereat. Coëgerunt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmentis ex quinque illis panibus hordeaceis, quæ superfuerant iis qui comederant.

Doctri-
na obser-
uanda in
hoc mira-
culo
quinque
panum
& duorū
piscicu-
lorum.

Rom. 4.

Conso-
latio ad
fideles in
summa
rerū ege-
state, cari-
tate an-
nonæ &
fame.

Exēplū.

1. Reg. 17.

Aliud
exempl.
Exod. 1.

Vbi primū notāda est in duobus istis discipulis, naturalis hominum diffidentia, qui urgente necessitate, immemores sunt Dei ut plurimū & eius prouidentia, in qua demum acquiescant: sed ad ea modō quæ sunt ante pedes spectant, sursum oculos non ferentes, & ex iis facultatibus quas in manu habēt, de rerum natura iudicant. Sed longē hīc hallucinamur: semper enim, ut ait Apostolus, in spe præter spem credere debemus.

Præterea diligenter notanda est illa multiplicatio, quæ vel omnium oculis & sensibus tūc obuia fuit, ne, ut ferē sit, expauescamus si quando minū vberem annonæ prouentum videamus, si item raras in agris segetes, raras vuas in vineis, neque ita multos arborum fructus cernamus. Deus enim etiam in nostris cellis penum nostrum multiplicare & augere potest, quod nobis dormientibus in agris facit. Quis verō cophinum farinae viduæ illius Sareptæ & pusillum illud olei quod in phiala habebat, adeo ut tantulum in triennium totum & suæ & pueruli inopiæ subleuandæ suffecerit, quis inquam multiplicauit præterquam sola illa Dei prouidentia? Quis item multiplicabat filios Israel in Ægypto, frustrā obnitente Pharaone & omnes rationes excogitante quibus illam gentem penitus extingueret? Num ocu-
lus

lus & prouidentia Dei pro suis electis aduigilantis?

De animalibus, auibus, piscibus pauca breuiter haftenus: superest vt de plantis aliquid hîc adiiciamus, quæ, cum propter earum vires & facultates quas partim alendis corporibus, partim etiam iisdem medendis exerunt, tum ob pulchritudinem, viriditatem, odorem, colorem, apertè vt cæteræ omnes res cõditæ Dei prouidentiam arguunt, ac generaliter primùm electos nobis proponūt, maximè cum Dei inuocandi & laudandi causa in vnum coguntur omnes, vt Dauid ait Psal. 92.

Planta
quoque
Dei prouidentia
euincit.

Electos
proponunt.

*Cen palma, iustus germinabit interim,
Aut cedrus in Libani iugo,
Quam non procella, non calor, non frigora
Honore nudant frondium.*

*Qua planta firmis haeserit radicibus
In ade Domini aut atrius:*

Se flore amœno frondibusque vestiet:

Fluxique lapsu temporis

Ægra senecta damna nulla sentiet,

Onerata largis fructibus.

Vt nota cunctis gentibus sit equitas

Domini potentis: qui mea

Arx est salutis vna, qui nunquam mala

Affinis est iniurie.

Ipsè etiam peculiariter se cum Oliua conferrandem ob rationem Psal. 52. his verbis,

Ego, cen virens oliuula

Domini in agello consita,

Florebo spe fretus bona



Cœlestis indulgentia.

Benedi- In benedictionibus verò quas Deus patribus
ctio so- & matribus familiâs promittit, à quibus stu-
bolis. diose colatur, hæc præcipua recensetur: qua
illos egregia sobole beaturum se pollicetur:
ex qua & lætitiâ & solatium magnum ca-
pianr.

*Instar palmitis vberi**Proventu grauidi, & coma**Cingentis viridi domum,**Te coniux hilarabit.**Ceu plantaria fertili**Pubescunt olea solo,**Incundo tibi liberi**Cingent agmine mensam.**Quem timor Domini tenet**Inter talia commoda**Vita tempora transiget.*

Quæ quidem non vulgaris est felicitas, aut
exigua gratia quam Deus confert patribus, vt
tanto fauore eorum familiam ad millesimam
vsque generationem prosequatur. Ex eo enim
certò sibi persuadere possunt, suos liberos,
cùm Dei benedictione cingantur, solida sem-
per felicitate in omni vita fruturos. Christus
item in Scriptura comparatur fasciculo myr-
rhæ, rosæ ceu flori campi, & lilio conuallium,
vt cùm suauitatis, tum sui sacrificii fragran-
tissimum odorem nobis significet, quo qui-
dem Dei ira in nos planè sedata est: qui eo
odore afflamur & perfundimur per fidem &
spem quam in ipso habemus.

Myrrha,
rosa cā-
pestris &
liliū cō-
uallium
Christū
nobis ad
ūbrant.
Cant. I. &
2.

Nec

Nec leuiter prætereundum illud quod de se *Vitis itē.*
 ipso Christus Ioannis 15, ait. Ego sum vitis illa
 vera, & pater meus agricola est, Omnem Pal-
 mitem in me non ferentem fructum, tollit, &
 omnem qui fert fructum, purgat, vt plus fru-
 ctus ferat. Iam vos puri estis propter sermo-
 nem, quem loquutus sum vobis: Manete in me
 & ego in vobis: sicut palmes non potest ferre
 fructum à semetipso, id est, nisi manserit in
 vite: ita nec vos nisi in me manseritis. Ego sum
 vitis, vos palmites: is qui manet in me & in
 quo ego maneo, hic fert fructum multum:
 nam absque me nihil potestis facere. Nisi quis
 in me manserit, eiectus extra vineam, statim vt
 palmes arescet: deinde coguntur isti palmites,
 & in ignem abiiciuntur & ardent. In hac com-
 paratione vitis cum Christo multa nobis præ-
 clara proponuntur documenta: quorum pri-
 mum hoc est, nos non posse aliunde quàm à
 Iesu Christo vitam haurire, cui inferamur o-
 portet, vt palmes viti, antequam vitæ partici-
 pes simus aut vllum bonum fructum ferre va-
 leamus: nam citra hanc vnionem & insitio-
 nem in Christo, qualis insiti suo trunco palmi-
 tis & suæ viti, steriles sumus & planè inepti ad
 proferendum fructum, vtcunque contra hanc
 doctrinam Pelagiani & Sorbonistę huius æta-
 tis multa deblaterent.

Alterum scitu dignum in hac comparatione
 in eo est quòd nisi postquàm semel Iesu Christo
 insiti fuerimus fructus feramus nostrę voca-
 tionis consentaneos itaque professioni nostrę

Insignia
 documē-
 ta quę ex
 hac com-
 paratio-
 ne petū-
 tur.



conguentes, corpore excindimur, & tanquam inutilia fumenta obiiicimur, & igne absumimur.

Hoc etiam ex hac similitudine discimus, fumenta etiam fructus suos ferentia, semper esse repurganda & amputanda, vt maiores fructus ferant: propterea quod post regenerationem hominis multæ etiam supersunt reliquie peccati & carnis in ipso, aduersum quas fortiter est pugnandum, & sancti Spiritus subsidium implorandum, qui quæ sunt in nobis superflua refecet, vt vinitor suam vitem deputare solet, idque vt fructus vberiores feramus.

Vinea
Isa. 5.
Ierem. 2.
Deut. 32.
Matt. 21
Figura
Ecclesiæ.

Ecclesia in Scripturis per vineam sæpe nobis exprimitur: vt Isaia quinto. Ierem. 2. Deuteronomij 32. Matth. 21. vt primum quanta eius esse debeat, humilitas discamus: quemadmodum enim vinea est humilis, & serpens in terram, & quemadmodum suos fructus omnes latis suis pampinis velat & occulit: ita etiam vera Ecclesia omni ostentatione caret, quasi humi iacens, omnem gloriam & inanem sui commendationem respiciens, & multis licet pulchris & bonis fructibus onusta sit, iis tamen non assurgit, sed iis potius degrauatur & deprimitur, eos tegens, omnem gloriam à se in Deum transferens, vt cui sola in solidum debeat. Nam vt ait Isaia, is est qui eam dilecto suo filio fecit in cornu olei, qui sepiuit eam, & lapides elegit ex ea, & plantauit vineam electam, & ædificauit turrem in medio eius, & torcular extruxit in ea, & expectauit vt faceret

Isa. 5.

faceret uvas, & fecit labruscas: atque ita non respondet culturæ, & votis coloni. qua de re perinde vt Isaias grauiter etiam conqueruntur alij Prophetæ, vt Ieremias 2. suæ prophetiæ capite. vbi Deum ita loquentem inducit. Ego autem plantaui te vineam electam, omne semen verum: quomodo ergo conuersa es in prauum mihi vinea aliena? Si laueris te nitro & multiplicaueris tibi herbam Borith: maculata es in iniquitate tua coram me dicit Dominus Deus. Quomodo dicis non sum polluta, post Baalim nō ambulaui: vide vias tuas in conualle, scito quid feceris, cursor leuis explicans vias suas. Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui. Et Moses Deuteronom. 32. in suo cantico. De vinea Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ: vua eorum, vua fellis, & botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum & venenum aspidum insanabile. Nonne hæc condita sunt apud me & signata in thesauris meis? Mea est ultio & ego retribuam eis in tempore, vt labatur pes eorum: iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora.

Vepres & Spina duo sunt arbuta vineæ plantæ contraria. Nullum enim fructum proferrunt, & plena sunt aculeis & spiculis quibus atrectantium manus ledunt: proinde illa cum improbis & infidelibus à Ieremia comparantur his verbis, Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum,

Ier. 2.

Vepres
& Spina,

Ier. 17.

K. j.

Imago
impro-
borū &
infideliū.
Iſa. 2.

Spinæ
noſtra
nobis
peccata
refrica-
re debēt.

& à Domino recedit cor eius. Erit enim quaſi myricæ in deſerto, & non videbit quum vene-rit bonum, ſed habitabit in ſiccitate in deſerto in terra ſalſuginis & inhabitabili. Iſaias item improbos vepres & ſpinas appellat, cū ait, Quis dabit me ſpinam & vepre in prælio, gradiar ſuper eā, ſuccendā eam pariter? ac ſanè nō poteſt meliùs exprimi improborū ingenium, quā veprium & ſpinarum natura, quæ flores quidem emittunt, ſed nihil præterea vtilitatis afferunt, quin potiùs eas contrectare volentibus maximè nocent, nullūque alium vſum præſtare poſſunt quā vt in ignem & clibanum iniſciantur: pari quoque ratione improbi, maximè verò hypocritæ, ſolam pietatis & æquitatis ſpeciem præ ſe ferentes, nullam aliam voluptatem capiūt quā in damno ſuis proximis inferendo. Spinæ, quotieſcunque nobis in ſepibus occurrunt, noſtra nobis in memoriam peccata perpetuò reuocare debent. Nam quòd iam è terra enaſcantur, ex maledictione Dei Adamo propter ſuam rebellionem inſlicta promanat, adè vt quotieſcunque ſeſe noſtris oculis ingerunt, toties noſtræ corruptionis & peccatorum noſtrorum memoriam refricare nobis debeant, vt eorum ſermoni nos pœniteat & toti nobis ipſi diſpliceamus.

Extat non illepidus Apologus Ioathan filij Gedeonis, quem Sichemitis aduerſus adulterinum fratrem ſuum Abimelechū propoſuit,
quo

quo non inscitè tyrannorum naturā & conditionem, quos rubo comparat, expressit. Iē-
runt inquit ligna vt super se regem inunge-
rent, dixeruntque oliuæ Impera nobis. Quæ
respondit, Nunquid possum deferere pin-
guedinem meam, qua & dij vtuntur & ho-
mines: & venire vt inter ligna promouear?
Dixeruntque ligna ad arborem ficum, Veni &
super nos regnum accipe. Quæ respondit eis,
Nunquid possum deferere dulcedinem meam
fructusque suauissimos, & ire vt inter cætera
ligna promouear? Locutæque sunt ligna ad
vitem, Veni & impera nobis. Quæ respondit
eis, Nunquid possum deferere vinum meum,
quod lætificat Deum & homines, & inter li-
gna cætera promoueri? Dixeruntque omnia
ligna ad rhamnum, Veni & impera super nos.
Quæ respondit eis, Si verè me regem vobis
constituitis, venite, & sub vmbra mea requie-
scite, si autem non vultis, egrediatur ignis de
rhamno, & deuoret cedros Libani. Hoc apo-
logo videmus quod sit inter bonos princi-
pes & tyrannos discrimen. nam boni prin-
cipes nulla ambitione ducuntur, & si quan-
do regnant, suorum subsidio, defensionis &
commodo subditorum regnant. contrà ve-
rò tyranni in aliena inuadunt, & eam sibi ven-
dicant potestatem & auctoritatem quam pro
suo iure immeritò quis eis attribuat, & quum
in dominatū aliquem euecti sunt, nihil aliud
spectant quàm suum commodū, suos subditos

Rubus
imaginē
tyrāno-
rum re-
fert.

Ingeniū
tyrāno-
rum.

K. ij.

deglubunt, eosque non ex iuris & legum norma, aut patriæ institutis, sed ex sua libidine, quam vim legis habere volunt, regunt & gubernant.

Arbores
fideles
denotât.

Atque vt de arboribus æquè ac de arbutis agamus. Fideles & viri boni arbores iustitiæ vocantur Isaïa 61. & à Dauide Psal. 1.

*Felix ille animi quem non de tramite recto
Impia sacrilega flexit contagio turba:
Non iter erroris tenuit, sessorve cathedra
Pestifera faciem dedit irrisoribus aurem:
Sed vita rursatur iter melioris, & alta
Mente Dei leges noctesque diesque reuoluit.
Ille velut rigue quæ margine confusa ripa est,
Arbor erit: quam non violento sirius æstu
Exurit, non torret hyems, sed prodiga leto
Prouentu beat agricolam: nec flore caduco
Arridens, blanda dominum spe lætat inanem.*

Idè quoque dicit Ieremias 17. suæ Prophetiæ. Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas: & non timebit quum venerit æstus, & erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit sollicitû, nec aliquando desinet facere fructum.

Magnates item in Scriptura proceris arboribus comparâtur: quas nulla quamlibet sublimis altitudo, nulla crassities ab iræ diuinæ securi liberare possit, quominus tandem excindantur & decutiantur. cuius rei testimonium habemus in illa arbore quæ Nebuchadnezaré adum-

adumbrabat, Daniel. 4. quæ iussu vigilis & Sæ-
 cti de cælo descendents succisa est, defracti e-
 ius rami, & dissipati, dispersi fructus, & bestia
 quæ subter eam erant, diffugere, & volucres
 cæli de eius ramis auolauere, vt præsentissi-
 mum iudicium Dei tyranno iam iam im-
 minere demonstraret: quod non multo post
 in eius caput decedit. in quam sententiam Da-
 uid Psal. 37.

*Vidi potentes impios,
 Grauique fastu turgidos
 Virescere instar laurea
 Amœna propter flumina:
 Specto repente, en lubrica
 Imago nusquam gloriæ:
 Nusquam manent vestigia
 Cunctis grauis potentia.*

& alibi Psal. 52.

*Ergo Deus te conteret,
 Hominumq; contubernio
 Eliminabit, ac domum
 Euertet omnem funditus:
 Iustus videbit & grauem
 Dei pauebit dexteram,
 Vanaq; dignos exitus
 Ridebit impotentia:
 En ille gazis inquiet
 Malisq; fidens artibus,
 Securus ille numinis,
 Diuina opis nil indigens.*

Eodem pertinet illud Ioannis Baptistæ, Matt.
 3. iam verò securis ad radicem arborum posita

K. iij.

est: omnis igitur arbor non ferens fructū bonum, excinditur, & in ignem abiicitur.

Res inanimā diuinā etiā prouidentiam testantur.
Aqua
Panis
Vinum.

Vnum modò superest, vt de rebus inanimatis agamus, in quibus perinde ac superioribus diuina prouidentia emicat vnā cum aliis potentiae Dei, bonitatis, sapientiae, clementiae & veritatis adiunctis virtutibus omnibus. Id videre est in aqua Baptismi, & pane & vino Coenae: quae maximis significandis mysteriis Dominus destinauit: sicut gratia Dei, remissio peccatorum, nostra item regeneratio per Spiritum Dei in aqua Baptismi significatur: & in pane & vino Eucharistiae significatur nobis illa coniunctio quae nobis intercedit cum humanitate Iesu Christi crucifixi, & Deo oblati in nostrā redemptionem: & cum sanguine eius ad noui foederis confirmationem effusi, quo Deus testatur se velle omnium nostrarum iniquitatum memoriam abiicere, easque penitus eluere, & in nostris cordibus sacrosanctas suas leges insculpere.

Ier. 31.

Petra typū Christi gerit.

Scriptura nobis in petra Christi imaginem proponit: in quo fundata est & superstructa tota Ecclesia, vt iam facile neque ventis, neque tempestatibus, neque procellis frustra in eam illis, aut quibuscunque aliis tentationum insultibus, quibus appetitur, aut quacunque vi alia exteriore in eam ab hostibus suis explicata facile concuti & labefactari possit, quoniam firmo fundamento innixa est. Eadem petra adumbrata fuit saxo illo à Mose percusso, è quo aquarū flumen emanauit, quod castra

castra populi Israelitici sequebatur, adaquandi pecoris causa, tum vt sacramēti instar esset, vt ait Apostolus, quo in cōmunicatione mortis & sacrosancti sanguinis Christi confirmarentur.

Rerum inanimatarum pretiosissimum omnium est aurum, quo proinde verbum Dei nobis designatur, cuius pretium est incomparabile: vt pluribus in locis ait Dauid Psal. 119.

Auro verbum Dei repræsentatur.

Erudisti me malis, vt legi adhaere am tue,

Hereā vt legi, auri aceruis gratiori ingētibus.

Et eodem Psalmo, alibi,

At tuum fœdus mihi auro est carius carissimo:

Hoc amo, huc errore misso dirigo visa ordinē.

Et Psalmo 19.

Iucundiora melle & auro

Et nitidis potiora gemmis.

Idem iudicium est de argento: quo item puritas verbi diuini nobis significatur Psal. 12.

Itemque argento.

— quod ab ore fideli

cunque fluit Domini

Auro purius est, auro quod fusile fecit

Septima flamma coquens.

Haecenus de ipsa rerum natura disseruimus, & cum in ea vniuersa tum in singulis eius partibus, demonstrauiamus nullas res conditas posse à diuina prouidentia excludi, sed ad eum ad quem destinatae sunt finem ex eius arbitrio in omnibus suis actionibus & motibus regi & dirigi. aded vt quod ad Deum attinet nihil sit fortuitum & contingens in rerū natura. Singulas tamen res in quibus ea se prodit, non ex-

Sūma eorum quæ haecenus dicta sunt.

K. iiij.



cussimus, nec enim istud à nobis præstari potuisset, neque hoc nobis propositum erat: sed quosdam duntaxat ex Scriptura locos seligere, in quibus quarundam rerum exempla nobis proponuntur, quæ luculentum prouidentia diuinæ argumentum exhibent: siue domi versemur, siue in agris, siue denique in mari nauigemus, quaquauersum oculos sustulerimus, siue sursum, siue deorsum, protinus se nobis infinita offerunt, quæ immensæ Dei potentia, bonitatis, sapientia & aliarum eiusmodi diuinarum virtutum in se insculpta vestigia gerant. Nam si vel ab ijs, qui Dei thronum circumstant angelis ad minimum vsque vermiculum & infimam quancunque rem, quæ in imo terre centro desideat, cogitationem demiseris, ubiq. se infinita Dei magnitudo exerit, vt semper magnus in magnis, nunquā paruus in paruis appareat. Sed tanta est hominum vecordia vt ad hæc non attendant, & Deum in suis creaturis non agnoscant, nec quanta per eas beneficia largiatur considerent. Quod ingrati animi vitiū in illis parit: ita vt ipsius donis sine gratiarum actione & nominis ipsius glorificatione fruantur. qua de causa grauius ipsis infensus, suam gratiam & benedictionē ab hominibus subtrahit, sexcentaque maledictionū genera ad iustam eorum ingratitude poenā cœlitus demittit. Cuperem autem hoc scripto vtcunque illos excitare, ijsque vitæ veræ contemplatiuæ gustum aliquem iniicere, sed non eius quam viuunt Monachi & Canonici, qui
tam-

tametſi totos ſe diuinarum rerum cōtemplationi defixos iactent, omni tamen ingenij acie procul à Deo & eius operibus auerſa, cuti curandæ, tanquam fueſ in ſaginario, ſe dedunt. Vellem igitur vniuerſos homines ad operum Dei cōtemplationem oculos ita conuertere, vt & domi & foris, noctu & interdiu ea ubique & ſemper ſuo ſibi animo obuſarentur, & in ijs Deum agnoſcerent & laudarent: vellem ea ſuis liberis, vt ait Moſes, perpetuò ſuggererent parentes, de iis agerent otioſè cum iſſis, in via ſiquem fortè offenderent comitem, cum eo de his iſſis ſermones conferrent, denique vt Legis inſtar ea dies noctèſque animo volueremus. Quod ſi à nobis obtinere poſſemus, facilè id præſtaremus quod Paulus à nobis exigit, nempe vt edamus & bibamus, omniâque ad Dei gloriam faciamus.

Ad Eccleſiam veniamus oportet, vtpote in qua admiranda ſemper extiterunt diuinæ virtutis ſigna: vt ait Dauid Pſal. 48.

Reſtor beate cœlitum, cui nil viget

Simile aut ſecundum, cœlitum

Beate reſtor, ſancta iure te Sion

In aſtra tollit laudibus:

Sion opacam verſa ad Arcton, regia

Formoſa regis optimi:

Sion voluptas gentium, vberis & ſol

Aruiſ beatuſ accubans.

Senſère Domini vindicis potentiam

Solyma ſuperba mœnia:

Senſère numen, quum feroces viribus

Sanctum
votū o-
mnium
Chriſtia-
norum.
Deut. 6.

1. Cor. 10

Secunda
pars hu-
ius tracta-
tus: in
qua agi-
tur de
prouidē-
tia Dei
erga Ec-
cleſiā: in
cuius cō-
ſeruatio-
ne ma-
gnificam
ſuam vir-
tutem &
gloriā pa-
tefacit.



*Coiere reges copijs,
 Castrisq; iunctis, seruitutem ciuibus
 Tuis minati & vincula.
 Perstrinxit oculos intuentium stupor,
 Et horror artus perculit.*

Et Psalmo 76. qui insignem gratiarum actionem continet, ob id quod Dominus suam Ecclesiam factā rectam præstiterit, maximè verò quod admirabilem suam potentiam aduersus tam validos & omnibus armis instructissimos hostes explicuerit, in hæc verba erūpit Dauid,

*Gentes profana numinis loco colunt
 Sibi quisq; quem finxit Deum:
 Indaa verum nouit & colit Deum,
 Laudatq; festis cantibus:
 Deum Sionis incolam, Solyma sacris
 Cui templa fumant ignibus.
 Illic minaces fregit arcus, lucida
 Fregit sagitta spicula.
 Clypea sinistris rapuit, enses dexteris:
 Funesta bella sustulit.
 Tu prepotentes fortior tyrannidas
 Virtute frangis: tu feram
 Compescuisti fortium superbiam
 Regum, potenti dextera.
 Fracta minacis spiritus ferocia,
 Præda fuere: aut ferro
 Somno grauati condidère lumina.
 Obrorpuere dextera
 Fortes virorum, vis equorum & currum
 Elanguerunt impetus.
 Et Psalmo 147.*

Non

Non ita se populis alijs monstravit amicum

Qui scita legum nesciunt cœlestium.

In quam sententiam Iſaias ait. Et erit in novissimis diebus, præparatus mons domus Domini in vertice montiũ, & eleabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibũt populi multi, & dicent, Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exhibet lex, & verbum Domini de Ierusalem, & iudicabit gentes & arguet populos multos: & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. Quibus verbis significare voluit Propheta Ecclesiam esse civitatem & Rempublicam, quæ multis gradibus reliquas omnes alias superet, nullamque in toto terrarum orbe cum ea vel dignitate, vel potentia, vel diuitiis, consilio, iuris & legum æquitate, ordine aut diuturnitate denique esse comparandam. Nam à primis mundi incunabulis ad hodiernum vsque diem contra omnes omnium suorum hostium insultus, impetus & dolos inuicta semper perstitit.

Antequam autem penitus in rem ipsam ingrediamur, & de qua Ecclesia sermo à nobis sit institutus, vt intelligatur, primũ eam definitione explicabimus, & susceptam de providentia Dei narrationem peragemus, quæ in ea longè magis quàm in quibuscumque aliis rebus conditis emicat. Ecclesia igitur est cœtus ho-

Ecclesiæ
præstan-
tia.
Es. 2.

Defini-
tio Eccle-
siæ.
Vnde
quanta sit
eius glo-
ria & fœ-
licitas
colligi
possit.

minum ab omni æternitate à Deo selectorum, per filium eius ex toto genere humano conscriptus, à mundi initio vsque ad finem, vi eius Spiritus & Verbi, quod communi consensu admittit, ab eodem Spiritu conseruatus in terra hac inferiore, donec in cælos susceptus tandem glorificetur, & in gloriæ, vitæ, & felicitatis sibi à Deo promissæ, & filij sui morte & obsequio partæ possessionem mittatur: vnde colligimus Deum eius esse fundatorem, vt ait Dauid Psal. 87.

Primum
Deus est
eius fundator.

Abramidarum ceteras vrbes supra,

Dominus Sionis diligit

Portas, Sionis imminet qua montium

Fundata sanctis collibus.

O predicanda posteris sacris Sion,

Beata mater urbium

Tecumne Babylon se audeat componere?

Tecumne Memphis insolens?

Ventura Babylon sub iugum Dei, Deo

Flexura Memphis poplitem.

Filius
Dei seruator
Ecclesiæ.

Et filium eius esse eiusdem Ecclesiæ seruatore & protectorem: ac Seruatorem quidem, quatenus est summus Sacerdos, qui sua morte & crudelissima seruitute qua detinebatur liberarit, è qua nūquam erui potuisset, nisi Dei filius eius causa Patris iustitiæ planè satisfecisset. Est itē eius protector, quoniā quū eā sibi acquisiuerit, est eius Rex, & summus Dominus, qui eam ab omnium suorum hostium vi & furore asserere & vendicare velit & possit. Denique Spiritus
Dei

Itēque
protector.

Dei est eius rector & gubernator: is est à quo Spiritus sanctificatur, regeneratur & instituitur, à quo sanctus
 consolationem accipit in suis malis, à quo de- est eius
 nique corroboratur, & in omnibus suis viis di- gubernator.
 rigitur.

Leges quibus regitur & gubernatur sunt Leges ha-
 decem verba illa, Dei digito scripta, in duabus bet man-
 rabulis Moſi traditis, quibus quicquid ad pie- data Dei,
 tatem & iustitiam pertinet, continetur, hoc est
 quicquid ad Dei cultum spectat & ad conser-
 vationem societatis & coniunctionis hominū
 inter ſe, in quo admiranda Dei ſapientia elu-
 cet: vt bene obſervatum eſt à Philone, quòd
 decem verbis plura longè comprehendantur
 & doceantur, quā quæ tot & tam magnis Phi-
 loſophorum, Legiſlagiſlatorum & Iuriſcon-
 ſultorū de ea re conſcriptis voluminibus con-
 tinentur: in quibus nullum verbum extat de
 iuſtitia retinenda, de recta rerum publicarum
 conſtituendarum ratione, quod non multo lo-
 cupleriùs & doctiùs decem illis mandatis pro-
 ponatur. Nec prætereundū illud quod ab eo-
 dem authore perdoctè annotatum eſt, nempe,
 vt denarius numerus reliquos in ſe continet,
 ita decem illis verbis omnes omnium gentiū
 & ſeculorum leges & conſtitutiones de piete-
 te & iuſtitia comprehendendi. Tria autem requi-
 runtur ad bene conſtituendas Reſpublicas, Verbum
 conſilium nempe in rebus deliberandis: virtus Dei eſt
 in ciuibus defendendis: & terræ vbertas in o- ſilium,
 mnibus quæ ad victum neceſſaria fuerint, ſup-
 peditandis. Iam videamus num hæc quoque

omnia in Ecclesia reperiantur, ac de consilio quidem sic ait Dauid Psalmo 119.

*Me tua legis sequacem vindica: cui diuites
Arroganter obloquuntur, iussa quòd seruem tua,
E tuo sermone vita quòd capeßam formulam.*

Et alibi eodem Plalmo.

*Te docente non recedo paululum à verbis tuis,
Faucibus meis suavi melle suauioribus.
Eruditus his, recedo à semita mendaciy.*

Superio- rum con- firmatio ex testi- monio Moßis. Moßes in hanc sententiam Deuteronom. 4. de lege agens, ait, Scitis quòd docuerim vos præcepta atque iustitias, sicut mandauit mihi Dominus, sic facietis ea in terra quam possessuri estis. Et obseruabitis & implebitis opere: hæc

Exéplū.

est enim vestra sapientia, & intellectus coram populis, vt audientes vniuersi præcepta hæc, dicant, En populus sapiens & intelligens. Ipse verò Deus post Moßis obitum sui populi curā Iosue committens librum legis in manus ipsi tradidit, vt se ex eius norma & præscripto in omnibus ita gereret, vt Dei fauorem & gratiā vbique & semper sibi conciliaret, rebus secundis vteretur, & prudenter singula administraret. Verba Dei ad Iosuem hæc sunt. Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt custodias & facias omnia quæ scripta sunt in eo: tunc diriget viam & intelliges eam.

Ios. 1.

Deus est robur Ec- clesiaz. Quod ad robur, & vim & virtutem attinet, ea nobis à Dauide Psal. 89. proponuntur his verbis,

Das vires, decus, imperium, das impia contra

Agni-

Agmina, ceu clypeum, per dura pericula regem
 Et paulo post eodem Psalmo,
Ipse mihi legi media de plebe, meoq;
Imposui regem solio, qui protegat armis
Is acidas, populoque meo qui iura ministret:
Davidis & sacro persudi tempora oliuo:
Huic animum virēque dabo, praesensq; tuebor
Perpetuo, ne fraude scelus, ne robur aperiē
Exitum ferat: ipse hostes, ipse impia sternet
Agmina, nulla meam veriet sententia mentem.
 Et Psalmo 144.

Quo te rex hominum carmine prosequar?
Qui firmas animum robore, qui manum
Ei bellare doces, & dubij regis
Per discrimina praelij:
Quod vino & valeo: tutus & hostium
A fraude, eximia fulgeo gloria:
Quod latē validis impero gentibus,
Totum muneris id tui est.

Et Psalmo 18.

Te Deus alme colam, te toto pectore amabo
Sancte parens, mea vis, mea sola potentia, turris,
Prasidium, spes & rebus solamen in arctis:
Tu clypeus, tu tela mihi, tu certa salutis
Anchora, tu statio tuti placidissima portus.

Et paulò post,

Ille suo clypeo fida spe pectora fulta
Protegit, aduersisq; vetat succumbere rebus.
Dicite, qui colitis picti ludibria trunci,
Aut ebur, in varias aut saxa excisa figuras,
Ecquis in aethero rerum moderatur olympo
Frana alius Dominus, quis terra tēperat orbem

*Alter, & inuicta qua vult facit omnia dextra?
 Ille Deus vina mihi vi corroborat artus,
 Ostenditque viam maculosa labe carentem:
 Me pedibus fecit celeri contendere ceruo,
 Et procul à seuis subduxit in alta periclis.
 Et tractare manu duro in discriminine belli
 Arma dedit facili: solidòque ex are rigentem
 Flectere, & inflexum cōfringere viribus arcum.*

Deus est Regis fundus ad regem ipsum
 regis hęcum toto suo satellitio & populo alendum, vt
 reditas, ait Dauid Psal. 16.

eiusdem
 penu &
 alimo-
 nia.

---- sortis populum mea
*Defendet Domini perpetuus fauor,
 Mercedemque laborū cumulatā dabit affa tim.*

*O pulchra agricolatio,
 O praelara mei sors patrimonij:
 Vt florum undique ridens animum pascit
 amœnitas!*

Et Psal. 37.

*Malè parta iustus arbiter
 Disperget, & potentiam
 Franget scelesti: dextera
 Iustum sua tuebitur.
 Innoxios fouet Deus
 Ac rem metur: prouidet
 Logena vt vsque in secula
 Sit sempiterna hereditas.*

O felicem igitur Ecclesiæ conditionem quæ
 firmo præsidio & tam certo consilio munia-
 tur & fulciatur, cui tam fœcunda sit hære ditas
 quæ agricolæ spem nunquam fallat.

De amo- Prius locus de prouidentia Dei erga Ec-
 clesiam

electam, erit de amore quo ipsam prosequitur: *re Dei er*
 qui, ut ait Ieremias cap. 22. ab æterno fuit. Et *ga suam*
 ut Propheta Oseas ait cap. 2. Et sponsabo te *Ecclesiã.*
 mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in
 iustitia & iudicio, & in misericordia & in mi-
 serationibus, & sponsabo te mihi in fide, &
 scies quia ego Dominus. Et erit in die illa,
 Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cœlos, &
 illi exaudient terram, & terra exaudiet triti-
 cum, & vinũ & oleum, & hæc exaudient Iez-
 rael, Et seminabo eam mihi in terram, & mise-
 rebor eius quæ fuit absque misericordia, & di-
 cam Non populo meo, Populus meus es tu. In
 quibus duobus locis magna & admiranda
 mysteria nobis proponuntur: ac primũ Dei
 gratia nobis exhibetur, qua sola, citra vllam
 nostri rationem, ad nos amandos incitatus est:
 ut ait Apostolus, vbi de nostra electione agit,
 & de immenso illo suo erga nos beneficio,
 quod intruendum proponit sub exemplis E-
 sau & Iacobi, his verbis, quæ 9. ad Rom. ha-
 bentur. Neque hic solũ, sed Rebecca quum
 ex vno concepisset, nempe ex Isaac patre no-
 stro hæc experta est. Nondum enim natis pue-
 ris, quum nihil fecissent boni vel mali, ut pro-
 positum Dei quod est secundum ipsius ele-
 ctionem, id est non ex operibus, sed ex vocan-
 te, firmum maneret, dictum est ei, Maior ser-
 uiet minori, Sicut scriptum est, Iacob dilexi,
 Esau verò odio habui. Et sub finem vndecimi
 capituli eiusdem epistolæ Isaie testimonio ean-
 dem confirmans sententiam ait. Quis prior

L. j.

Fūdamē-
tū huius
amoris.

dedit ei & reddetur ei: Et epistola ad Ephesios. Nos elegit in ipso antequam iacerentur munda fundamenta, ut simus sancti & inculpati coram eo per charitatem. Qui prædestinavit nos quos adoptaret in filios per Iesum Christum in sese, pro beneuolo affectu voluntatis suæ, ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, qua nos gratis effecit sibi gratos in illo dilecto. Et eiusdem epistolæ capite secundo, ubi agit de Iudæis & Gentibus, ait, Quum essetis mortui in offensis & peccatis, In quibus olim versati estis, ut est vita mundi huius secundum principem cui potestas est aëris & spiritus, nunc agentis in hominibus cōtumacibus. Inter quos & nos omnes conuersati sumus olim in cupiditatibus carnis nostræ, facientes quæ carni ac cogitationibus libebant: eramúsque natura filij iræ, ut etiam reliqui. Sed Deus qui diues est misericordia propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, etiam cū per offensas mortui essemus, vnâ viuificauit nos per Christum, cuius gratia estis seruati. vnâque excitauit, vnâque collocauit in cœlis in Christo Iesu, ut ostenderet seculis succedētibus summas opes suæ gratiæ, sua erga nos benignitate in Christo Iesu. Gratia enim estis seruati per fidem: idque non ex vobis: Dei donum est. Non ex operibus, nequis gloriatur. Nam ipsius sumus opus conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit Deus, ut in eis versaremur. Propterea mementote vos quondam Gentes in carne, qui dicebamini præputium ab ea, quæ

quæ vocatur Circumcisio in carne, & quæ manibus fit: Vos inquam illo tempore fuisse absque Christo, alienos à Republica Israël, & extraneos à pactis promissionis, spem non habentes, & Dei expertes in mundo. At nunc in Christo Iesu vos qui eratis procul, propinqui facti estis per sanguinem inquam Christi: Ipse enim est pax nostra qui utrâque fecit vnum, & intergerini parietis septum soluit, inimicitias, lege mandatorum quæ in ritibus posita est per carnem suam abolitis, ut ex duobus illis conderet vnum novum hominem in semetipso faciens pacem: Et utrosque in vno corpore reconciliaret Deo per crucem peremptis inimicitias per eam.

Sed inter alia omnia Scripturæ loca quibus graphicè nobis depingitur miseranda illa conditio nostra antequam ea per regenerationē crueremur ex mera puta Dei erga nos gratia & misericordia, luculentissimus est ille Prophetæ Ezechielis cap. 16. in hæc verba. Et factus est sermo Domini ad me dicens, Fili hominis, notas fac Ierusalē abominaciones suas. Et dices, Hæc dicit Dominus Ierusalem. Radix tua & generatio tua de terra Chanaam. Pater tuus Amorrhæus & mater tua Chetæa. Et quando nata es, in die ortus tui, non est præcisus umbilicus tuus, & aqua nō es lota in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis. Non percipit super te oculus, ut faceret tibi vnum de his, misertus tui: sed proiecta es super faciē terræ in abiectioe animæ tuæ in die qua nata es.

L. ij.



Transiens autem per te vidi te conculcatam in sanguine tuo: & dixi tibi quum esses in sanguine tuo, Viue: Dixi inquam tibi in sanguine tuo, Viue: Multiplicatam quasi germen agri dedi te: & multiplicata es, & grandis effecta, & ingressa es, & peruenisti ad mundum muliebrem, vbera tua intumuerunt, & pilus tuus germinauit: & eras nuda & confusione plena. Et transiui per te, & vidi te: & ecce tempus tuum, tempus amantium. & expandi amicum meum super te, & operui ignominiam tuam. Et iuraui tibi & ingressus sum patrum tecum ait Dominus Deus: & facta es mihi. Et laui te aqua & mundaui sanguinem tuum ex te, & vixi te oleo, Et vestiui te discoloribus & calceau i te hyacintho, & cinxi te bysso, & indui te subtilibus: & ornari te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum. Et dedi in aurem super os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo, & ornata es auro & argento, & vestita es bysso, & polymito & multis coloribus: similam & mel & oleum comedisti, & decora facta es vehementer nimis, & profecisti in regnum. Et egressum est nomen tuum in Gentes, propter speciem tuam: quia perfecta erat in decore meo, quem posueram super te, dicit Dominus Deus.

Huc vsque recitantur à Propheta ingentia illa beneficia quæ à Deo in suam Ecclesiam collata sunt, pro ea qua erga ipsam commiseratione motus est, & eo amore quo vltro eam com-

complectitur. Quæ sequuntur in textu pertinent ad exaggerandum summum illud ingrati animi vitium quod exhibuit tum quum tam turpiter tot & tantis à Deo donis acceptis abutens ad omnem nequitiam & horrédas scortationes se transtulit. Quemadmodum autem dilectio Dei erga suam Ecclesiam perpetua est & constans, eiusdem quoque rationis est ipsius beneficentia, qua illam in dies locupletare pergit, gratia gratiæ addita, & accumulatis suis fauoribus, quoad illam gloriæ & honoris coronâ bearit in suo regno. Id quod pluribus in locis à Dauide docetur, maximè verò Ps. 23.

Tu mensas, epulis accumulas, merum

Tu plenis pateris sufficis, & caput

Vnguento exbilaras, Conficit amulos,

Dum spectant, dolor anxius.

Me nunquam bonitas destituet tua,

Profususque bonis perpetuò fauor:

Et non sollicita longa domi tue

Vita tempora transigam.

Et Psalmo 89. in eandem sententiam.

Tu mihi carnem eris rerum pater optime, semper,

Nataque erit populus bonitas me vate futuris,

Pollicitique immota fides, dum si dera mundo

Voluentur tacito, &c.

Et infra.

Quin sobolem, & sobolis seros in cuncta nepotes

Sæcla dabo, & stabilis sceptrum immutabile regni,

Donec ab obscuris lucem sol diuidet umbris.

Quòd si posteritas mea fœdera sancta prophanet

Inmemor, & legem spernat, iussamque recuset

L. iij.

*Ire viam, domitos pœnis duròsque labore
 Compescam, & plagis vsque exercebo rebelles.
 At neque destituam regem bonitate perenni,
 Fœdera nec solũ, nec quod semel ore profudi,
 Vlla immutabit venturi temporis ætas.*

Magnitudo amoris Dei
 erga suã
 Ecclesiã.
 Iohan. 3.

Alterum quod hic est notandum, est immensus ille amor quem in multis quidem rebus patefacit, sed in eo potissimum quod summam hominibus & angelis admirationem parit: nempe quòd ita dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitum dederit, vt quisquis in eum credit non pereat sed habeat vitam æternam. vnde cū Apostolo colligimus, Si Deus pro nobis quis contra nos? Is quidem qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quĩ nõ etiam cum eo omnia nobis gratificabitur? Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus is est qui iustificat. Quis est qui condemnet? Christus is est qui mortuus est, imò verò qui etiam est ad dextram Dei, qui etiam postulat pro nobis.

Huius amoris constantia.

Vltimum quod considerandũ restat in hoc amore est eius amoris constantia, qui ita perdurat, vt nullomodo violari aut obliterari possit. vnde de hoc ipso amore agens Salomo ait, fortis est, vt mors, dilectio: dura sicut infernus, æmulatio: lampades eius lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eum. Et D. Paulus in hanc sententiã ait.

ait, Quis nos separabit à charitate Christi? num oppressio, num angustia, num persecutio, num fames, num nuditas, nū periculum, num gladius? Sicut scriptum est, Causa tua occidimur totum diem, habiti sumus velut oves destinatae mactationi. Imò in his omnibus plus quam victores sumus per eum qui dilexit nos. Nā mihi persuasum est, neque mortem neque vitam, neque angelos, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque sublimitatem, neque profunditatē, neque vllam rem aliā creatā posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Hoc vno & solo amore Ecclesia subnixata stat immota, aduersus omnes omniū suorum hostium impetus & conatus, qui omnes, quod aiunt, in neruū erūpūt. vnde dicebat Christus, portis inferorū, id est. Diabolo cū suo toto satel litio nullam esse in ipsam potestātē cōcessam: quod luculētius etiā ex sequentibus euincetur.

Cū autē de amore Dei erga suam Ecclesiam, à quo fonte varij benedictionū omnium, gratiarū & fauorum riuuli in ipsam deriuātur, satis abūdē dictum videatur, superest vt de eius hostibus agamus, à quibus tantundem mali & detrimenti accipit quantum à Deo bonorum habet, itēque vt de rationibus iis aliquid dicamus, quibus in illorum conatibus infringēdis & eludendis Deus vt plurimūm vti solet.

Primus & omniū truculentissimus & anti-Satā, quissimus hostis Ecclesiæ est Satā, qui iam inde à mundi initio nihil intentatū reliquit ad eā la-

L. iiii.

befactadā & penitus pessumdandā. Et quoniā ira Dei est causa omniū malorū quæ hominibus contingunt, vt contrā ex eiusdem gratia & fauore bona omnia profluunt, hoc quum animaduertisset Diabolus, odio internecino motus in hominem, rationē excogitauit quæ eum in Dei iram coniceret, dum persuasit ei, ne fidem haberet verbis Dei, atque ita in contumaciæ aduersus Deum & rebellionis crimen incideret. Vnde sequuta sunt illa odia, grauēsque inimicitia, quæ hucusque perdurarunt, & ad finem vsque mundi perduraturæ sunt, donec nimirum diabolus in abyssum detrudatur, & ea conclusus teneatur: Ecclesia verò sua sibi à Deo promissa glōria & fœlicitate donetur. In quam sententiam Moses, serpenti, à quo primi parentes nostri seducti fuerant, à Deo hanc pœnā denuntiata fuisse dicit, his verbis, Inimicitias ponā inter te & mulierem, & semen tuū & semē illius, Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.

Gen. 3.

Descri-
ptio pu-
gnæ inter
Ecclesiā
& Satanā.

Sed nulla præstantior descriptio eius pugne quæ inter diabolum & Ecclesiam intercedit, in tota Scriptura continetur, quàm quæ in Apocalypsi D. Ioannis cap. 12. proponitur in hæc verba, Visum est autem signum magnum in cœlo: Mulier amicta Sole, sub cuius pedibus erat Luna: & in capite corona stellarum duodecim: vterum ferens, clamabat parturiens, & cruciabatur vt pareret. Visum est autem aliud signum in cœlo, & ecce adfuit Draco magnus rufus, habens capita septem & cornua decem: & in

& in capitibus suis diademata septem. Cuius cauda trahebat tertiam partem stellarum cœli, quas abiecit in terram: stetit autem is draco ante mulierem parituram, ut cum peperisset filium eius deuoraret. Peperit autem filium masculum, recturum omnes gentes virga ferrea: & raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius. Mulier autem fugit in solitudinem, ubi habet locum paratum à Deo, ut illic pascat eam diebus mille ducentis sexaginta. Et factum est prælium in cœlo, Michael & angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli eius: Sed non obtinuerunt, neque locus eorum amplius inuentus est in cœlo. Et proiectus est draco ille magnus, serpens ille antiquus qui vocatur diabolus & Satan, qui seducit totum terrarum orbem, proiectus inquam est in terram, & angeli eius cum eo projecti sunt. Et audiui vocem magnam dicentem in cœlo, Nunc facta est salus & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia deiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Sed ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni, & propter sermonem testimonij sui: & animæ suæ prodigi fuerunt usque ad mortem: &c. quæ ad finem usque capitis reliqua commemorantur.

Odium item diaboli in eo maximè perspicitur, quod cribrandos Apostolos petiit, quos dubio procul grauitèr concussisset, nisi suis ad Patrem precibus eius conatus Christus anreuerterens, petiisset ut & Petri & suorum colle-

- Zach. 3.** garē fides nunquā excideret. In eo itē quod Ioseph summo sacerdoti fecit, tū quū vnā cū aliis suis coadiutoribus Zorobabele nimirū & reliquis eius sociis in instaurādo tēplo laboraret: huic enim maximē reluctabatur, ad eius dextrā adstās, vt tantū conatū impederet. Itēque quū inuasit Iudā, vt eū ad prodendū suum dominū exciraret, satis supérque se hostē Ecclesiæ prodidit, quum caput ipsum Ecclesiæ adoriretur, à quo salus & vita totius corporis emanat.
- Matt. 6.** Deniq; quandoquidē quotidie à Deo flagitamus, vt nos liberet à malo, plus satis nobis inimicissimum esse vel hoc vno significamus.

Mundus. Mundus item, quia in tenebris versatur, & lucem fugit, summo opere nos odit: vtpote cui mendacium cordi, veritas odio habetur: & testimonium ferimus de eius operibus quòd mala sint. His adde quòd nullum est consortium, nulla societatis ratio inter eum qui totus est in malo, & nos qui gratia Dei & virtute spiritus regenerati & sanctificati sumus.

Ioh. 18. 7. & 18.

Ioan. 5.

Ioan. 3.

Synagoga

Matt.

21 Pf. 118.

Ioan. 9. &

16. & 11.

Synagoga deniq; hoc est pseudo Ecclesia & cœtus hypocritarū, qualis erat Iesu Christi tēpore totus ille ordo Sacerdotū, Scribarū, Phariseorū & seniorū populi qui lapidē angularē Ecclesiæ reiiciebāt, quīq; à se procul remouebāt omnes eos qui nomē Iesu Christi profitebātur, quīq; in vnū cōquenerāt omnes, vt rationes disquirerent, quibus eū morti addicerēt: Ea in quā synagoga perperuas cōtra Ecclesiā inimitias gerit, eāmq; quibuscūq; potest modis insectatur. Quod manifestissimū vltimis his tēporibus, quib; Papā, Cardinales, Archiepiscopos,

Episcopos, Presbyteros, Abbates, Priores, Monachos & Canonicos, totā denique illā Romā nā hierarchiā, quæ nihil aliud quā larvā Ecclesiæ præfert, nullum non lapidem mouere, nullas rationes omittere, nullos dolos, nullas artes præterire videmus, quibus veram Ecclesiam, si fieri possit, ad internecionem vocet: in hoc vnum incumbere omnes, hæc consilia agitare, hæc mouere vt funditus pereat Ecclesia, quis non videt? parum tamen promouent, vt ait Apostolus, quoniam Iesus Christus qui est pastorum suæ Ecclesiæ princeps, omnia illorum consilia euertit, vt ait Dauid,

Qui malas artes populi prophani

Ludit callidior suis:

Et suo iniusta selerata turba

Fraudat consilia exitu.

Et Isaias cap. 8. Cōgregamini populi & vincimini, & audite vniuersæ procul terræ: cōfortamini & vincimini, accingite vos & vincimini. Inite cōsiliū & dissipabitur, loquimini verbū & non fiet, quia nobiscū Deus. Et Dauid omnes omniū regū & magnatū contra Ecclesiā & contra Iesum Christū regē suū a Deo constitutum, initas coniurationes subfannās, ait,

Quid trepida gentes vano fremuere tumultu?

Minisque populi sauiunt inanibus?

Et cum principibus magnis coire tyranni,

Denūq; Christūq; Domini aduersum truces?

Vincula quin horum fortes dirumpimus, (aiunt)

Et lora nostris demimus ceruicibus?

At pater atherens rerum cui summa potestas,

Ridebit impotentium irritas minas. &c.

Irritos omnes esse hostiū in Ecclesiam conatus variis Scripturæ locis probatur.

Et Psalm. 83.

Ne taceas, ne cuncteris, pater optime, nène

Preces tuorum sperne duris auribus.

Ecce fremunt hostes circum, & miscere tumultum

Sæuo parati cuncta, cristas erigunt:

Concilia occultè cœunt, populoq; minantur

Tu quem tuendum propriè suscepisti.

Eia aiunt properate, omnem succidite syluam,

A stirpe sobolem deleamus Isaaci.

In quo Psalmo videmus quanta hominū multitudo in Ecclesiam coniuravit, quibūque artibus & dolis ad eam intercipiendam & delendam vsa sit. at non semper is erat rerū exitus quem improbi animo præceperant: quin imò Deus illos quandoque suis ipsorum fraudibus circumuentos deludebat, ut secus omnino res caderent quàm apud se cogitarant, ut ait David Psalm. 7. loquens de suis hostibus.

Si perstet hostis, iam gladium tener.

Iam tendit arcū promptus, & arripit

Ferale telum, & igne sæuo

Letiferas acuit sagittas.

En qui nefandum parituri scelus,

Concepit ærumnam, pariet velut

Quæ vana per somnum inquietas

Ludificant simulachra mentes.

Fodit dolosam, ut me caperet, scrobem.

Incautus in fossam ipse suam ruit.

In verticem ipsius recurret

Pernicies, recidentque fraudes.

Quod ita semper accidit. nam callidus ille serpens, summum exitiū generi humano attulisse putabat

putabat, quum falsis suis persuasionibus primos illos parentes nostros ad violandum Dei mandatū perpulit: sed eorum lapsus occasionem dedit Deo patri mittendi sui filij, qui expiato illo hominis peccato, cum ex illa servitute in quam se ultro coniecerat erueret, suāque illū redemptione longè præstantiore quā antea loco & dignitate constitueret, ipsiusque serpentis, qui summam ei perniciem machinatum se fuisse putabat, caput contereret.

Laban pactum initum cum Iacobo sororis suæ filio de mercede quam pro pastu & custodia pecorum auferret, sepe reuocavit: quū videret greges Iacobi suis esse numerosiores. Itaque filium ex sorore decipere cupiens, sæpius atque identidem pactorum conditiones immutabat, at fraus omnis quam in Iacobum moliebatur, iusta Dei providentia, in ipsius caput tota recidit.

Laban
Gen. 30.

Pharao item cū populi Israelitici in Ægypto maiorem in dies, quā cupisset, accessionem fieri animaduerneret, & quū iam metueret ne in tantam multitudinem excresceret, ut sua multitudine fretus consiliū aliquando caperet de rege ipso expellēdo suo regno, rationes iniit cum suo populo quibus huic malo occurreret: itaque oneribus illos gravare constituerunt, ut illorum mole tandem obruti factiscerent Israelitæ. obstetrices item aduocarūt ad se, quibus trucidandos mandarent masculos Israelitarum recens natos. Sed Deus istarū obstetricum animos ad commiserationem li-

Pharao
Exod. 1.

Ægyptij

berorū sui populi conuertit, ita vt regis mandato non obsequutē fuerint: quo factum est, vt præter suum consiliū, populus in immensum propagari non desierit.

Achito-
phel.
2. Sam. 17

Aman,
Esth. 3.
& 7.

Prou. 16.

Achitophel eiusmodi consilium suggesterat Absalomo, quod si sequutus fuisset, omnino videbatur Dauidi patri suo extremum exitium allaturus; sed Deus Opt. Max. hoc perniciosum consilium subuertit, in gratiam sui serui, & in eius salutem conuertit, ipsiusque adeo Achitophelis exitium, qui quum vidisset suam sententiam non valuisse in consilio Absalomi, domum suam se recepit: cui cum prospexisset, ipse sibi laqueum collo aptauit, atque ita miserē vitam clausit. Aman, qua valebat apud regem Assuerum gratia & autoritate certa diplomata ab eo obtinuerat, ad extinguendū Mardochæum cum tota Iudæorum gente, quæ tum in illis oris versabatur, quinetiā lignum altum quinquaginta cubitos erigendum curauerat, in quo Mardochæus suspenderetur. Sed vt ait Solomo, cor hominis deliberat de sua via, sed Deus dirigit eius gressus. Nam exiguo post tempore admiranda ratione Assueri consilium immutatum fuit, & immensus ille fauor quo Amā antea prosequabatur, in summum in eum odium protinus cōuersus est, adeo vt qua eum potestate donauerat, eam omnem ad Mardochæum transfulerit: ipsūque Aman tandem in eodem ligno quod contra Mardochæū crexerat, suspendi iusserit, vbi admirabilis Dei prouidentia obseruanda est.

Sacer

Sacerdotes cū viderent Apostolos negligere mandatum de non loquendo in nomine Iesu Christi, anxij erant, & incerti quod potissimū consilium sequerentur: quibus Gamaliel Phariseus dixit, Abstinere ab hominibus istis, & sinite eos: quoniam si est ex hominibus consilium siue opus hoc dissoluetur. Sin ex Deo est, non poteritis dissolvere, ac nescio an etiam cum Deo pugnare comperiamini.

Sacerdotes.
Act. 5.

Quidā ex Iudæis facta coitione deuouerunt sese, dicentes, neque efuros sese neque bibituros vsque quò trucidassent Paulum. Erant autem plures quā quadraginta viri qui hanc coniurationem fecerant, quæ indicata per filium sororis Pauli, & patefacta tandē Tribuno militum, irrita facta est.

Quæ omnia exempla cum sexcentis aliis tū ex sacris tum ex prophanis scriptoribus peritis, apertē demonstrāt Deum præesse consiliis hominū, eorūque corda ex suo arbitrio immutare, siue Reges sint & Principes, siue priuati & plebeij homines, vt ait Salomo, Cor Regis est in manu Domini tanquam decursus aquarum, & illud inflectit in quamcunque rem voluerit. Quod magnā nobis consolationem & fiduciam adferre debet contra clandestinas omnes omnium nostrorum hostium coniurationes, coitiones, minas, edicta & quoscunque alios conatus in nos intentatos, persuasis illos non habere suorum consiliorum exitū in sua potestate, sed ex Dei vnus voluntate pendere rerum euenta: vt semper illud Dauidis ex Psal.

Iudæi.
Act. 23.

21. nobis in memoriam sit reuocandum,

Te nanque contra moliuntur abditam

Fraudem scelusque perfidi:

Et mente praua vota versant irrita,

Et spes inanes concoquunt.

Et Psal. 37.

Observat impius pium,

Vi perdat: ast illum Deus

Custodit, ante iudicem

Tuetur à calumnia.

Spem colloca in Deo, Dei

Seclare leges: & dabit

Dines potensq; ut hostium

Cernas superstes exitum.

Ratio
qua tran-
quilla
mente
fruamur.

Hæc igitur est opportunissima ratio pacandæ & tranquillandæ mentis, & vanarū omnium ex animo nostro discutiendarū cogitationum, quibus ita quandoque exagitamur & perturbamur, ut sæpe perniciofa nobis consilia capiamus. ut contigisse videmus nouissimis hisce Gallicis motibus, quibus multi ab Ecclesia & fœdere Dei turpiter descuerunt, perturbatio- re paulo duntaxat regni statu ad id compulsi, utpote quem vel aliquatenus instaurari & restitui posse nunquam crediderunt. qui si men- tis aciem in cœlū conuertissent & providentię diuinæ rationem aliquam habuissent, à qua singula rectissimè semper ordinantur, & ad suum finem perducuntur, utcunque confusa & perturbata maximè videantur, nunquam in horrendam illam defectionem incidissent, in quam iam magno nostro dolore inciderunt.

Quem

Quem scopulū vt effugiamus, exemplū Dauidis imitari nos oportet, qui eo nomine præcipuè gratias agebat Deo, quòd semper in Dei prouidentiam defixos oculos haberet, siue quid videret, audiret, siue quid deliberaret & animo suo volueret, aut quomodocunque accideret. Fructus autem quem ex ea meditatione percipiebat, erat mentis hilaritas quædā & alacritas, pax & consolatio conscientie, & o- Exemplū Dauidis.
 prima sui cōstitutio in quo uis tempore per tot & tantas rerum vicissitudines: Eum verò iam loquentem audiamus. Psal. 16.

Quicquid molier aut gero

Præsentem Dominum conspicio: is mihi

Sæper dexter adheret, stabili ne mouear gradu.

Pulsat pectora gaudio

Cor lato trepidum: lingua tuas auct

Laudes promere: corpus tacitè spes bona recreat.

Nam nec degere tartari

Permites animam sub tenebris meam,

Aut vt putre cadauer resolutum in cineres suat.

Tu vita referas viam:

De vulniflumi lætitiæ tuo

Manant: tu iribuis munifica gaudia dextera.

Et alibi, Psal. 34.

Qui cuncta ad illum consilia referunt sua.

Lato his nitentes gaudio

Vultus renident, nec repulsa infamia

Rubore confundet genas.

En, pauper iste cum vocaret, omnibus

Hunc eruit periculis.

Et Psalm. 37.

M. j.

*Iustus salutis collocat
 Omnem in Deo fiduciam,
 Qui fulcit aquos robore,
 Adversa cum sors intonat.
 Dominus petenti fert opem,
 Et in periculis liberat
 Ab impiis, qui se & suam
 Illi salutem credidit.*

Et Psalm. 59.

*Deum canam, qui robore
 Me fulcit, augeat viribus,
 Benignitate subleuat,
 Tuetur arx ut enea.*

Et Psalm. 91.

*Præsens vocanti subsidium feram
 Et imminenti rebus in asperis
 Fato eximam, exemptoque honorum
 Eximium decus arrogabo.
 Faxo virenti robore transigat
 Sera senectæ tempora sua uiter:
 Meosque monstrabo beare
 Qua soleam ratione amicos.*

Nihil prius igitur, nihil antiquius nobis esse debet, quàm ut in omnibus rebus gerendis vel suscipiendis in Dei vnus prouidentiam recumbentes, eius nutu & arbitrio nos regendos permittamus, ut in quibuscunque casibus felicem tandem aliquando exitum fortiamur, & in tanta rerum vicissitudine singula Dei consilio & sapientia ita administrari nobis persuadeamus: ut omnia in nostram salutem redundatura certò cōfidamus, utcunque in specie

ciem nobis omnia aduersari videantur: siquidem Dei sapientiam eludi, nullaque ratione posse impediri eius consilia pio pectori semper exploratum esse debet.

Hoc si præstiterimus, re ipsa experiemur, & dicemus cum Dauide ad Dei gloriam, quicquid tandem euenierit, verum esse quod Psal. III. scribit,

*Namque Dei verè sunt grandia facta potentis,
Auidis probè nota omnibus.*

Magnificum est quodcunque facit, splendensque decore,

Et iustum opificem comprobans.

*Quarum etiam nobis rerum monimèta reliquit
Ter-optimus quàm maxima.*

*Hic siquidem exanimis dapibus saturauit
inemptis,*

Sui usque fœderis memor.

*Et sua quanta foret virtus monstrauit, eosdem
Terra exterorum collocans.*

*Sic rigidus patuit Iudex, fideique tenacem
Vbiq; sese præbuit.*

*Æternum siquidè rata, firma, & iusta manere
Quacunque sanciuit, decet.*

*Eruit ergo suos pacti non immemor, hostem
Terrens vel ipso nomine.*

Vt igitur hunc sermonem absoluâ, fateor, Diabolum, qui callidus est, ac minimè segnis, & cuius maxima est in mundo vis ac potestas, omnia moliri, & quasuis technas struere, quibus Dei Ecclesiam affligat & prorsus destruat, & in hunc finem noua quotidie ipsum excogita.

M. ij.

esse
vel
re-
dos
ce-
, &
n-
er-
re-
oe-
em



re & tentare consilia. Idem agnosco mundum & tyrannos facitare, qui iugum Christi ferre non possunt, ei que subijci pro viribus recusant. Idem facit Synagoga, quæ magnopere metuit ne ipsius hypocritis patefiat per veritatem & lucem Euangelicam, quam refugit, quodd illius prædicatione suam quietē & tranquillitatem perturbatū iri arbitretur. Sed frustra tergiversantur, & se in varias formas vertunt: tandem enim eos colla submittere & genu corā Christo flectere oportet, cuiusque voluntati se permittere, quæ frustra ringentibus ipsis firma & immota in æternum est perman-
sura.

Cura
quam de
sua Eccle
sia Deus
gerit.
1. Pet. 5.

Singularis ille amor quo Deus Ecclesiā suam prosequitur, facit ut de illa conservanda & de rebus illi necessariis, siue corpus, siue animum spectent, providendis, tantam curam ac sollicitudinem gerat. Idcirco etiam Petrus singulos fideles hortatur ut in eum curam omnē suam coniciant: quod illi cura sit de ipsis. Quod etiā pertinet quæ Psal. 23. David his verbis de Deo prædicat,

Ipsē me rerum parens

Eccē pascit sedulus:

Quē me cgestas terreat?

Ille me per floreī

Lata prata graminis,

Ille pueros lassulum

Ductitat per riuulos.

Et Psalm. 37.

Quin corda plenus in Deum fiducia

Sernata

*Servato recti tramitem,
Vite satur futurus, & placidissimi
Potiturus aui commoda.
Vnum te oblectet numen, hinc posce omnia,
Hinc impetres ut omnia.*

Et Psalmo 142.

*Ergo ad te fugio, Tume a spes, Deus,
Quo solo incolumis fruor.*

Ex quibus locis quantam Deus curam nostri, rerumque nostrarum gerat, discimus: & vicissim quanta nos deceat ad illum in nostris periculis sollicitudine, auxilium ab illo accepturos confugere. Quod docet David Psal. 146.

*At ô beatum qui potente
Pendens ab vno numine,
Illius acquiescit vno
Suffultus usque robore.*

Et Psalmo 85.

*Sui aderit, inquam, promptus hic timentibus,
Ut nostra priscum patriâ recipiat decus.*
Verum præ reliquis omnibus Psalmis, insignis est Psal. 121. qui docet nos quantam Deus suorum electorum, & eorum quæ ad ipsos spectant curam gerat, his verbis Propheta singulos fideles alloquente,

*Israel hic est tua
Qui reget vestigia,
Iste custos pernoctat
Usque te tutabitur.
Nanque custos hic dies
Atque noctes excubans,
Usque somni sedulus*

M. iij.

*Omnis expers exigit.
 Hic Deus custos tibi,
 Præbet hic umbram tibi,
 Fidus hic tuum comes
 Deferet nunquam latus.
 Luce, non te lampade
 Sol aduret torrida,
 Luna te vaporibus
 Non liquabit humidis.
 Israel hic te malis
 Afferens ab omnibus,
 Te solo tandem tuo
 Collocabit sospitem.
 Tutus ibis hoc duce,
 Et redibis quolibet,
 Nunc & usque in ultima
 Secula seculorum.*

Alia testi
 monia ex
 Novo Te
 stamento
 collecta.
 Luc. 22.

Christus Apostolos reuersos ab illius muneris
 functione, quam ipsis commiserat, Euangeliū
 nimirum in Iudæa prædicandi: Diabolos ex
 corporibus eiiciendi, & quemuis morbum san-
 nandi, sic interrogat, Quando misi vos, inquit,
 absque crumena & pera & soleis, num quid
 defuit vobis? Ipsi vero dixerunt, Nihil. Ex quo
 discimus in vocatione pergentibus, & in vni-
 cam diuinam prouidentiam recumbentibus,
 nihil vnquam defuturum. Paulus 2. Epist. ad
 Corinth. dicebat, cap. 6. Habemur vt seducto-
 res, inquit, & tamen veraces: vt ignoti, & tamē
 noti: vt morientes, & ecce viuimus: vt qui ca-
 stigamur, nec tamen occidimur: vt dolentes,
 semper tamē gaudentes: vt pauperes, sed mul-
 tos

ros ditantes: vt nihil habentes, sed omnia obtinentes: quibus verbis docere voluit, sc̃pe Dei filios in tantas angustias redigi vt omnia ipsis defutura videantur, sed tamen Dei prouidentia sic illos rebus necessariis instrui, vt etiam ex iis aliquid aliis impertiri possint: vt etiam Dauid id ipsum Psal. 112. docet his verbis.

Vicissim & ipse quā potest

Iuuat benignus proximos,

Quod inquit, inquit vt decet,

Facitque rite quod facit.

Quacunque fluctus irruant,

Perdurat hic immobilis.

Et paulò pòst sub Psalmi finem,

Pascit libens hic pauperes,

Hoc gloriosus nomine

Cunctis futurus seculis,

Virtutibusque nobilis.

(ait,

Et Ps. 37. de Deo & cura quā de suis gerit loquēs

Omnes bonorum Dominus obseruat dies,

Firma vt sit ipsorum quies.

Bonos sinistra vt fors premat, nūquam opprimit,

Nec dira conficiet fames.

Interitus autem certus impios manet,

Numenq̃, quisquis oderit,

Euanius abit penitus in sumos leues,

Adeps opima vt victima.

Egenus vsque mutuatur impius,

Nec soluit vnquam mutuum:

At vsque sanctis suppetit, famelico

Quod largiantur pauperi.

Nam quos fauore amplectitur superum Pater,

M. iiij.



*Immobili perstant gradu:
 Quotcunque verò iratus idem deuouet,
 Pereant necesse est funditus.
 Et paulò pòst dicit eodem Psalmo.
 En me peracta parte vite maxima,
 Canens senectia iam premit:
 Nec me usque rectum persequentum tramitem
 Meòsue sensi deserì,
 Querulàve vidi voce diuitum ad ostia,
 Miserum rogantes frustulum.
 Quin iustus usque ut largiatur pluriis,
 Superest abundè heredibus.*

Matt. 6.

Non est igitur quòd metuamus ne non donet
 nobis Deus panem nostrum quotidianum,
 quem à nobis postulari iubet quotidie: quod
 non faceret, nisi nobis eum largiendi volunta-
 tem haberet. Adde quòd auicularum exemplo
 (quòd Christus iis proponit qui de alimentis
 suis plus æquo sunt solliciti, & diffidentia ple-
 ni) & promissione quam adiicit, regnum Dei
 & iustitiam eius quærentibus nihil vnquam
 defuturum, sed res corporeas illis etiam adie-
 ctum iri, satis confirmari nos oportet & cer-
 tiores reddi de ipsius erga nos studio & egre-
 gia voluntate, nobis largiendi quæcunque sunt
 ad hanc vitam necessaria. En etiam quid ipse
 dicat Christus Dominus. Ne estote solliciti de
 anima vestra, quid esuri sitis aut quid bibituri:
 neque de corpore vestro, qua re sitis induendi.
 Nonne anima plus est quàm alimentum, &
 corpus quàm vestitus? Intuemini in volucres
 cœli: non serunt enim neque metunt, neque
 cogunt

cogunt in horrea, & Pater vester cœlestis alit eas: nonne vos multò præstatis eis? Quis autem ex vobis sollicitè cogitando potest apponere ad staturam suam cubitum vnum? &c. Ne igitur estote solliciti, dicentes, Quid edemus, aut quid bibemus? aut quo amiciemur? (Nam omnia ista Gentes requirunt) nouit enim pater vester cœlestis vos indigere his omnibus. Sed quærite primò regnum Dei & iustitiam eius, & ista omnia adiicientur vobis. Annon ex istiusmodi Dei tam magnificis promissionibus maiorem fiduciam de victus nostri certitudine concipere nos oportet, quàm videmus diuites in frumèti cumulis aut cellis vini plenis solitos ponere? Testis esto David ipse Ps. 34.

Vos istum colitote p̃y: sic horrida nunquam

Vos vrgeat penuria.

Est (fateor) rapidos quum per deserta leones

Exagitet impatiens fames:

At quemcunque regit Domini timor, hunc beat

Rerum perennis copia.

(vsque

Vah! ecquis vnquam cogitauerit, Deum qui familie pater est, adeò crudelem esse aut negligenter, vt eum de alimentis ipsi prouidentis nulla cura tangat? Quod si faceret, annon infidelis esset? quum dicat Apost. eum qui suorum curam nò gerit, ac præcipuè familie suæ, peiorem esse infideli? Absit autem vt ore tam blasphemio lædamus Dei veritatem, quæ æterna est, vt ait David psal. 100.

Porissima
ta quæ
primùm
ex consi-
deratio-
ne diui-
næ natu-
ræ dedu-
cuntur.

Nanque se bonum Deus,

Atq; promptum parcere

Vsq; & vsq; comprobat.

Vique fracta corruat

Tota mundi machina,

Posterorum posteris

Stabit eius veritas.

Deinde
ex amo-
re quo
suos pro-
sequitur:
in quorū
gratiam
omnia
creata
sunt, &
ipse Chri-
stus ho-
mo fa-
ctus est.

Præterea quum quæcunque res creatæ Cœ-
lo & Terra cōtinētur, atque aded ipsa Christi
humanitas, rerū illarū omniū nobilissima, crea-
tæ sint vt homini inseruiāt, quemadmodū ipse
Christus de se proficitur, inquit, Se nō venis-
se vt ei ministretur, sed vt ministret, & vitā suā
in multorū redēptionem profundat: ecquis si-
bi persuaferit ita nostri Deū oblitum, vt ma-
iorem aliarum rerum curam gerat quā no-
stri, in quorum gratiam & commoda creatæ
sunt. Dauid de creaturis dicit Psal. 145.

Pendulos abs te reficis decenti

Tempore cunctos.

Nanque tu dextra saturas aperta

(Sic tibi visum Deus ô benigne)

Vspiam quicquid fruitur tribute

Lumine vita.

Ex mira-
culis quæ
in deser-
to in Ec-
clesiæ
gratiam
facta sūt.
pt. 78. &
105.
Deut. 29.
Psal. 78.

Quis nō etiā ingentem illā & admirabilē Dei
prouidentia suspiciat in deductione Ecclesiæ
sue per deserta, in quib. omnia ad victū necessa-
ria deficiebāt? Erat enim terra sterilis omnino,
& desertū aded horridū vt intuitibus stuporē
iniiceret: & tamē in eo Deus populū suum an-
norū 40. spatio paut, sine cura & molestia ter-
rā arandi vel alia quauis ratione excolendi: at-
que aded etiā aliquid maius præstitit: nā sic eo-
rum vestimenta & calciamenta conseruauit, vt
nec

nec attrita nec usu deteriora facta sint: licet duræ ceruicis esset iste populus, & subinde aduersus Deū & fideles eius seruos murmuraret, immò & insurgeret. Sed Deus qui ad iram tardus est, & pronus ad misericordiã, & magnæ fidelitatis, noluit in eos secundum ipsorum delicta & cõmeritas pœnas animaduerrere: sed flectere potius ipsos semper tētavit, & cordis eorum peruicaciã & duritiem emollire, misericordia sua & beneficentia in dies cum eorum malitia certans. Qua re singularem suum erga ipsos amorem, & egregiam in eos voluntatem suam magis patefecit.

Quomodo verò Deus nos nõ curaret, quum rerū nostrarum curam gerat? Sic enim Moses istud pluribus persequitur. Erit autem si fideliter auscultaueris voci Iehouæ Dei tui, obseruaueris faciendo omnia præcepta eius, quæ ego præcipio tibi hodie, vt efficiat te Iehoua Deus tuus sublimẽ supra omnes gentes terræ. Et obuenientes tibi, omnes benedictiones istæ assequentur te, quum auscultabis voci Iehouæ Dei tui: Benedictus eris in ciuitate, & benedictus eris ruri. Benedictus erit fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, & fructus iumentorū tuorum, fœtus bouum tuorum, & greges pecudum tuarum. Benedictus corbis tuus, & macra tua. Benedictus eris in ingressu tuo, & benedictus eris in egressu tuo. Exponet Iehoua tibi inimicos tuos cæcos qui insurgent aduersum te: quum via vna processerint contra te, septem viis fugient coram te. Amandabit Iehoua penes te benedictionem in horrea tuā, & ad quod.

Ex cura
quam de
nostris
facultati-
bus ge-
rit.
Deut. 28.
Leuit. 26.

cunque admouebis manum tuam: benedicet-
que tibi in terra quam Iehoua Deus tuus dat
tibi.

Ex eius
benedi-
ctione.

Esai. 26.

Studeamus igitur pietati, & Deo nos obse-
quentes prebeamus: & ab eo vicissim expe-
ctemus quaecunque sunt nobis necessaria, spe-
rantes fore vt nobis & rebus nostris semper be-
nedicat. Veluti etiam loquitur Esaias, Iehoua,
dispones pacem nobis: nam etiam omnes res
nostras confecisti nobis: & gressus omnes no-
stros regat, vt etiam ait Dauid Psal. 37.

Gressus piorum praeuius Deus regit,

Rectam terentes orbitam.

Illos ruina aduersus impetum grauis

Potente subleuans manu.

Ex spe-
ciali eius
providē-
tia qua
nostras
cogita-
tiones &
fermo-
nes diri-
git.

Nec porro Deus solos gressus suorum regit,
sed etiam cogitationes affectus & sermones,
vt ait Solomon Prou. 16. Penes hominem sunt
acies cogitationum animi, sed à Iehoua est
fermo linguæ. Quod & Dauid ipse confirmat,
Psal. 37. his verbis.

Labris bonorum confidens sapientia

Hinc iusta promittit omnia,

Et corde in alto fixa lex Dei sacra,

Firmos regit eorum gradus:

Quos, siue quisquam vaser insidias struat,

Sive ante vultus Iudicium

Calumniam parat, Deus nec deserit,

Nec Iudicium arbitrio finit.

Intentus ergo perge, dum è coelis Pater

Tandem vocatus prodeat.

Et impiorum saluus, exitus malos

Lumini-

Luminibus aspicias tuis.

Et Psal. 19.

Quæ lingua fundit verba, quod in sinu

Secum volutat mens tacito, accipe

Placatum, ô nostræ salutis

Arx, Dominus, Deus, & redemptor.

Diuus Paulus. 2. Corinth. 3. dicit, Nos idoneos non esse ex nobis ipsis ad cogitandū quicquā, velut ex nobis ipsis: sed quod idonei sumus, id ex Deo esse. Et 1. Corint. 2. ait Neminē posse Iesum Dominum dicere, nisi per Sp. S. Et Act. 17. Nos in Deo viuere, moueri & esse. Et ad Rom. 11. Ex eo, & per eum, & in ipsum esse omnia. Et Christus ipse apud Ioh. 15. suis discipulis dicit, ac proinde omnibus fidelibus, Sine me nihil potestis. Ex quibus omnibus locis perspicuè animaduertimus Dei prouidentiam non tantum in personas nostras ferri, vt ab ea regatur & gubernetur, sed etiam vsque ad nostra consilia, deliberationes, desideria, affectiones, sermones, motus denique, & in genere ad ea omnia quæ siue vigilantibus, siue dormientibus nobis eueniunt extendi: vt etiam David ait Psalm. 127.

Testimo
nia ex
No. Test.

Alia te-
stimonis
ex Psal-
mis.

Suos benignus quum beata nutriet

Deus quiete sospit es.

(Et Psal. 3.

Ergo ciulantem me superum Pater

Quum sacra ab arcis culmine inaudiat,

Et pectore ex imo profusus

Optimus annuerit querelis:

Curis solum pectora teiricis,

Nec dormientem nec vigilem paup



*Turbabit vllus, sub potentis
Præsidio Domini quietum.*

Ex ipsius
erga nos
beneuo-
lentia.

Pfal. 33.

Denique minimè dubitandum est quin Dei nostri vigilēs oculi semper in iustos defixi sint, vt eos in omnibus ipsorū actionibus regāt, & aures semper apertæ sint & attentæ ad eorum exaudiendos clamores: & prompta voluntas ad eos tuendos ac custodiendos, ipsisque res omnes necessarias subministrandas. Denique,

En sibi addictos Deus undiquaque

Seruat, intentis oculis tuendo:

Spes nec ipsius bonitate fretos

Ludit inanis.

Mortis hic saua prohibet pericla,

Hic fame toti minitante mundo

Liberat iustos, velut è sepulchri

Limine raptos.

Exēpla,
quibus
superior
doctrina
cōfirma-
tur.

I Adami.

Gen. 3.

Præter locos illos è sacris depromptos, ex quibus didicimus quantā Deus curam gerat tum Ecclesiæ suæ in genere, tū peculiariter singulorum eius membrorū, infinita sunt etiā exempla, quæ nos id ipsum edoceant. Postquam Adamus peccasset, & propter peccatū paradiso exulare iussus esset, ac proinde (quod maius est) gratia Dei excidisset, extra quā nihil nisi summa miseria est, & maledictio, ne magnā desperandi occasionē habebat, & cogitandi se in omne seculū miserrimū & infelicissimum fore! Sed Deus, qui ab æterno in cōsilio illo suo æterno populū elegerat, quē ad gloriā & vitā æternam prædestinarat, vt id efficeret, & Adamum & omnes electos à desperatione & ruina releuaret

uaret, eorū miserię succurrit: & addita promissione benedicti seminis, quod nasciturū ex fœmina, serpētis caput erat contriturū, in maiore spē quā vnquā erexit. Ex fide illa, Dei promissiones amplectēte, cœpit Ecclesia exurgere: quod Satan intuitus, qui talo seminis ex fœmina insidiabatur, & modis omnibus Ecclesiæ incrementa impedire conabatur, rationē turbandæ Adami familiæ commentus est, Cain ad Abelis fratris minoris natu eādem impulso: quem deinceps domo patris exire coactū post tantum patratum facinus, sectam cum suis instituere docuit, quæ Dei Ecclesiam infestaret, & ibi noua subinde negotia facesseret.

Gen. 3.

Ab eo tempore cœpit bellū capitale & implacabile inter duo illa semina fœminę & serpētis, quod hodie adhuc durat, & in finē vsque mūdi perdurabit. Quoniā autem Cainus & qui eum sequebātur viribus præstabant, facile verā Ecclesiā, quæ ab Adami, Sethi & successorum partibus stabat, superiores facti oppressissent, nisi Deus, qui eius erat protector, maturē suā prouidentia rāto periculo occurrisset, & eā seruasset vsque ad tempus diluuij, quo Noachum vnā cū sua familia in Arcam, quā sex & viginti annorum spatio ex Dei mandato cōstruxerat, iussit ingredi, in ea, ceteris diluuiο pereuntibus, seruandū. Qua in re peculiare Dei curam, qua suā Ecclesiā cōplectitur, aspici mus, quam illi periculo eripuit, quo omnis anima viuens ē superficie terræ sublata periret. Et hæc eius sollicitudo erga ipsam singulis ætatibus perennis fuit, Israhelitæ diu in Ægypto sub onere dura

2. Noachi
Gen. 6.3. Mosi.
Exod. 1
& 4.

4. Eccle-
 sia in Ae-
 gypto.
 Exod. 15.
 & 16.
 In deser-
 to.
 Num. 21.
 Ios. 3.
 In terra
 Chanaā.
 Ios. 6. 8. 9.
 10. & 11.

seruitutis qua premebātur à Regibus, velut op-
 pressi iacuerūt, donec Deus eorū suspiria & que
 relas exaudiens, Moſen mittere decreuit, à quo
 ex dura illa & miseranda seruitute inuito &
 repugnante tyranno, vi diuina in libertatem
 aufererentur. Inde Arabiæ horrenda deserta pe-
 netrarunt, in quibus miraculosè Deus illis af-
 fatim alimenta suppetidauit, & per loca inuia
 deduxit, & aduersus serpentes vndecunque in
 eos irruentes tutatus est. Elapsis tandem annis
 quadraginta, quibus errarūt in deserto, quum
 Iordanem eos traduxisset, quem scissis aquis,
 vt antea factum erat in mari, peruium fecerat,
 in terram patribus promissam introduxit, &
 in eius possessionem misit: exactis ex ea, Iosue
 ducis auspiciis, Chanaanæis & sex aliis, quas
 Deus iusserat, nationibus, vt cum pace regio-
 nem illam incolerent. Quod tamen non est
 ducum ipſorum egregiis factis aut armis, aut
 eorum gladiis, sed soli diuinæ potētiae & pro-
 uidentiae ipsis præcunti adscribendum. Quod
 etiam Propheta variis locis elegantissimè de-
 scribit, sed maximè Psalm. 114. in quo nobis à
 Propheta ponitur ob oculos liberatio ex Æ-
 gypto, & paucis verbis miracula, quæ in ea
 contigerunt, representantur. Audiamus igitur
 quæ Dauid Psalm. 114. recenset.

Israel Ægypti ingrata quum linqueret arua,

Gentisq; regna barbara,

*Tum sibi Iudæam numen sacrauit, & huius
 Se prodidit gentis ducem.*

*Vidit & aufugit trepidum mare: refluus amnis
 Aquas*

*Aguas retrorsum rettulit.
 Subsilière ipsi montes, per pascua lata
 Salire ut arietes solent.
 At cur fugisti trepidum mare? reslue curvam
 Annis cucurristi retro?
 Saltastis quorsum montes, per pascua lata
 Salire ut arietes solent?
 Saltastis quorsum colles, sub matribus agnos
 Salire quales cernimus?
 Ante Dei tellus tremuisti scilicet ora;
 Potentis Isaci dñi Dei,
 Flumina cui rigida fudère ingentia cautes,
 Et rupta stagnavit silex.*

Et Psalm. 44.

*Et fama, & nostris audiuimus auribus olim
 Narrantes atavos seclis patrata verusti,
 Ipse tua quum tot populos, forissime, dextra
 Protereres, quorum deinceps urbésq; solúm q;
 Donasti patribus, venturisq; ordine natis,
 Nam sua non illis peperère hanc arma quietem,
 Nec sua tam multis exemit dextra periclis,
 Sed tua, summe Deus, vis, & manus una, tuig;
 Cœlitus affulgens radiantis gratia vultus.*

Cæsis tandem tandem hostibus, & eorum occupata regione, Eleazarus summus Sacerdos, cum Iosua, & singularum tribuum ducibus fortè inter tribus regionem diuiserunt: quæ quum singulæ in suam fortè concessissent, & alta pace fruerentur, atque gustum eius quam à Deo acceperât quietis percipere cœpissent, & delicias quas terra abundanter producebat degustassent, non multo elapso tempore la-

s. Israhelitarū, qui quum à Deo deficerent ad officiū per varias castigationes sunt reuocati.

N. j.

Iud.2.
Iud.3.4.
5.6.7.8.

sciuire cœperunt, Deique & eius beneficiorum obliiti, Baalim & peregrinos deos venerari. Vnde factum est vt iratus Deus nouos hostes aduersus suum populum concitaret, & ipsorum potestati subiiceret. Veluti quum Regem Mesopotamiæ, Regem Moabitarum, Regem Cananæorū, Madianitas, Ammonitas & Philistæos excitauit, à quibus pessundati fuissent & penitus deleti, nisi Deus illos forti & potēte manu sua coërcuisset, quem licet obliuioni tradidissent Israelitæ, minimè tamen ipsorum immemor fuit: sed quanuis ad ingrati animi & perfidiæ cumulum accessissent, fauore tamē suo illos persequi nō destitit, Iudicibus & gubernatoribus variis temporibus, veluti cœlitus, missis, à quibus ex seruitute illa tyrannica in libertatem assererentur.

6. Eccle-
sia in Ba
bylone.

Quāta fuit etiā Dei de sua Ecclesia sollicitudo quū in Babyloniā esset transportata, post templi & vrbis Ierosolymorum destructionē, Regibus eorum & Sacerdotibus fœdissimè exautoratis, & sua dignitate spoliatis, ordinis ac politiæ ipsorū statu euerso, aded vt ex miserrima illa in quam erant redacti conditione de eorum in sempiternū redintegratione desperaretur? Testatum tamen fecit Deus se illorum penitus oblitum non esse, nec prorsus eos licet indignos à se cura abiēcisse. Nam vt æquiore animo seruitutem, in quam erant, amissa pristina libertate & dignitate, redacti, sustinerent, cor regis ita flexit erga Danielelem, vt in supremam dignitatem eum inter Babylonios eueheret

Dan.1. &
2.

heret, eique veluti clauum Imperij committeret, adeo vt in reliquos omnes Magistratus potestatem obtineret, atque hac ratione magnam opportunitatē esset assequutus iuuandi fratres, qui quū in varias terras essent dispersi mœrore summo conficiebantur, vt ex eo Psal. conspicuum est, in quo suæ captiuitatis misérias deplorant, his verbis,

Quum Solyma memores rigue Babylonis ad undas, Psal. 137.

Mœrore pleni corda, lumina lacrymis,

Es salicum ramis pendentia spectaremus

Tunc muta, sed canora quondam nabilia.

Sub Assueri imperio Ecclesia vehementer afflicta fuit, & extremum periculū subiit Amani consiliis, qui Regi charissimus & acceptissimus ad rerū gubernacula sedebat. Is, propter inueteratum & capitale odium quo Iudæorū gentem, & peculiariter Mardocheum persequabatur, quod ab ipso quos expetebat honores non consequeretur, à Rege diplomata ad Dei populum perdendū impetrauit. Sed Deus mirificè tantam pestem à populi sui ceruicibus auerit, & in Amani caput quicquid in Mardocheum & gentē eius cuderat, conuertit.

Sub Afflicta fuit, & extremum periculū subiit Amani consiliis, qui Regi charissimus & acceptissimus ad rerū gubernacula sedebat. Is, propter inueteratum & capitale odium quo Iudæorū gentem, & peculiariter Mardocheum persequabatur, quod ab ipso quos expetebat honores non consequeretur, à Rege diplomata ad Dei populum perdendū impetrauit. Sed Deus mirificè tantam pestem à populi sui ceruicibus auerit, & in Amani caput quicquid in Mardocheum & gentē eius cuderat, conuertit.

Temporibus verò quibus regnabat Antiochus Illustris, quē Regē habuit Syria omnium perfidiosissimum & crudelissimum, Ecclesia vehementer afflicta est, utpote qui nullis dolis, nullis viribus pepercit, quod eius ruina, si posset, aspectaret: sed tamen Deus tunc patefecit quantam in Ecclesia sua conseruanda curam gereret, suscitato Iuda Machabeo, & eius fra-

Sub Antiocho Illustris.

2. Mach. 2. & 3.

N. ij.



tribus, qui huius tyranni & cæterorum ipsius ministrorum vim & consilia fregerunt. Psalmi septuagesimi noni hoc argumentum fuit, qui complectitur querelas quas Ecclesia fundit apud Deū, tam diros ab hoc tyranno passa cruciatus, & insignem etiam peccatorū confessionem, quam edit coram Deo, ut magis ac magis sub illius manu submissa, eius iram mitiget & placet. Sed age, quāta Dei Spiritus qui per os Prophetæ loquebatur, eloquentia istud in Ecclesiā persona exprefferit, audiamus.

Psalm. 79.

*Ab tuum Gentes populum profana,
Mi Deus, vinctum rapiunt aguntque.
Heu tibi sacras populatur hostis
Impius arces.*

*Nuper heu mundi decus uniuersi
Urbs iacet, tantum lapidosus agger,
Pristinum monstrans decorem superba
Mole ruina.*

*Qui tuum quondam coluere numen,
Vincè chari tibi qui fuere,
Bestiis eheu lactanda prostant
Corpora fœdis.*

Quam querelam sequitur hæc paulò post confessio.

*Pristinum ab nobis scelus haud repone,
Quin citò tu nos miserare promptus,
Subter hoc pridem graue tot malorum
Pondus anhelos.*

*Nunc iuua, qui nos toties lenasti,
Parce delictis, ades ô Benigne,
Vi tibi tanto meliore laudes*

Iure



Iure canamus.

*Nanque cur istos tuleris prophanos
Impia ex nobis rogitare voce,
Noster in quam Deus ille cunctans
Sede moretur?*

*Immo fac istis liqueat proteruis,
Fac ut & nobis liqueat vicissim,*

*Tu quibus poenis soleas tuorum
Pendere mortes.*

Deus etiam Ecclesiæ suæ peculiarem curam se gerere testatus est, sub illud tempus quo Titus Vespasiani filius Ierosolymam obsidione cinxit: quam, ut ex præsentis periculo erueret, paulo ante obsidionem vrbe eduxit, & in proximâ villam Pellam nomine, dimisit, in qua Romanorum furorem & præsentem mortem effugit.

Romano
rū tem-
pore sub
Tito.

Sub imperio Diocletiani, Maximiani & aliorum coniuratorum tyrannorum, quid esset Ecclesia factum, nisi Deus curam illius gessisset, quum tantis animis & tanto furore in eam ferrentur sex tyranni qui in eius excidiū coniurauerant, & nunquā nisi penitus deleta Ecclesia cœpto desistere in animum induxerant?

Euseb in
hist. Ec-
cles.

Sub Dio-
cletiano
& Maxi-
miano.

Sed ecce paratū adfuit Dei istis tyrannis occurrentis subsidium, excitato Constantino Principe adhuc iuvene, sed magnos animos gerente: qui tyrannis se opponens, Dei auxilio tandem eos etiam profligauit: & viribus suis ac magnis rebus gestis clarus, Ecclesiæ tātā pacem & quietem peperit, quantam vnquam antea extitisse, aut in posterum extiturā, puto.

Constan-
tinus.

N. iij.

Ne igitur vnquam animos nostros ista subeat dubitatio, Deus sitne nostri memor & studiosus an non, age sententiam istam memorię nostrę penitus infigamus, quā quondam Isaia populō proponebat, Si dicat Sion, dereliquit me Iehoua, & Dominus oblitus est mei. An obliuisci potest mulier fœtus sui, vt nō misereatur filij vteri sui? Etiā si hæ obliuisci possint, tamen ego non obliuiscar tui. En in manibus sculpsi te, muri tui è regione mei versantur iugiter. Festinabunt filij tui: destructores tui & vastatores tui exte exhibunt.

Cura
quam
Deus de
singulis
Ecclesię
mēbris
gerit.
Gen. 48.
I. Iacobus
re-
stitis.

Porro Deus nō tantū in genere totius Ecclesię corporis sed etiam peculiariter illius vnus cuiusque membri curam gerit. Quod ex variis exemplis quę nobis à Scriptura proponuntur, est perspicuum. Iacobus filiis Iosephi nepotibus suis benedicēs, aiebat, Deus ille ante cuius conspectum continenter ambularūt patres mei, Abrahamus & Isaacus, Deus ille qui pascit me ex quo die sum vsque in diem hunc: Angelus ille qui vendicat me ab omni malo, benedicat pueris istis, nempe Ephraimo & Manassi. Quę quū Iacobus apud suos proficeretur, satis testabatur quantā Deus curam de ipso inde ab eius infantia gessisset. Nam quum adhuc esset in matris vtero parum abfuit quin suffocaretur, geminis illis fratribus in vtero matris alter in alterum irruētibus, Exin quum frater eius odium capitale aduersus ipsum concepisset, tum quod primogenitura

Gen. 25.

ius

ius offula ab ipso redemisset, tum quòd pater-
 nam illi benedictionem matris suasu & consi-
 liis præripuisset, inde factum est vt ex paren-
 tum consensu in Mesopotamiam ad Laba- Gen. 28.
 num auunculum confugeret, à quo etiam Gen. 30.
 multas passus est iniurias annorum viginti
 spatio, quibus tamen nunquam defuit il-
 li præsens Domini auxilium. Quanquam au-
 tem cum ad patrem redeuntem, auunculus
 eius esset infecutus, ea mente vt vim adfer-
 ret, Deus tamen nocte in somnio illi appa-
 rens, cum ab inferenda iniuria nepoti suo ex- Gen. 32.
 sorore deterruit. Verùm ecce reconciliato
 Iacobo Labani auunculo, quum vterque
 suum iter insisteret, nouus metus iniectus est,
 quum accepisset nuntium, fratrem Esauum
 cum quadringentis militibus ipsi obuiam
 procedere: quo tamen metu liberatus est,
 quum Deus iterum illi apparuisset in eo lo-
 co, qui propterea Phanuelis nomen semper
 obtinuit, & ita confirmasset, vt audentior
 fratri occurreret, qui reditum ei gratulatus
 est, atque ita post mutuos amplexus & gra-
 tulationes, alter ab altero discedens in suam
 quisque domum se recepit, mortuo etiam
 Isaaco paucis à Iacobi reditu diebus. Hæc ve- Gen. 34.
 rò veluti malorum principia, multæ deinceps & 35.
 ex ordine calamitates exceperunt. Dinam e-
 nim eius filiam Sichemus filius Hemmoris He-
 uai raptâ violauit. Et paulò pòst vnice dilecta
 eius vxor Rachel supremum diem in partu
 N. iiij.



- Gen. 35. obiit, nō procul Euphrata. Exin verò, quasi penitus esset calamitatibus sese mutuo cōtingentibus obruendus, filij eius qui in Iosephi fratris caput coniurauerant, à fera deuoratum illum fuisse patri nuntiauerunt: ex quo nuntio tanto percussus est mœrore, vt mortem vnicam malis suis vltimum remedium exoptarit. Adde superioribus, infaustum illud Rubenis facinus, ausi cum Bala, vna ex patris concubinis concumbere, & patris thorum incesto detestando pollueret: facinus, inquam, horrendum & detestandum. Adde præterea Iudæ factum, qui contra Israelitarum mores, filiam Chananitidem in vxorem sibi despondit. Et, qui malorum cumulus fuit, ingenti exorta fame, in ea regione in qua morabatur, quum iam prouecta esset ætate & decrepitis senex, coactus tamen est in Ægyptum concedere, vt se illic suamque familiam aduersus importunam famem tutaretur.
- Gen. 46. Age verò, quānam sanctus ille Patriarcha tot tantosque labores exatlarē potuisset, nisi Deus illum veluti manu sustentasset, & peculiari quadam cura ex tot periculis eum eruiisset, & in tantis ærumnis, curis & molestiis esset consolatus?

2. Iosephus. Annon etiam in omnium oculis est cura illa insignis quam Deus de Iosepho eius filio gessit, quandiu in terris superstes fuit? Nam ecce iam ab initio, quum ab infantia transiret ad adoleſcētiā, propter inueteratum odium quo fratres ipsius eum inſequēbantur, parum abfuit

fuit quin in vitæ discrimen venerit: venditus
tamen est in mancipium Ismaelitis, à quibus in
Ægyptum transportatus est, & Putiphari ven-
ditus: in cuius familia quum aliquam sibi au-
thoritatem conciliasset, quodd esset apud he-
rum suum in gratia, ecce repētē adulterij cum
hera reus factus, nec tamen sceleris conuictus,
uxori credente Putiphare invincula coniectus
est, in quibus biennium durissimo & obscuris-
simo carcere conclusus, exegit: donec tandem
à Pharaone somniorum explicandorum causa
ex carcere liberaretur, & ab eodem in summā
dignitatem euectus, toti Ægypto præficeretur.
Quod David minimè silentio præterit, Psal-
mo 105.

*Nam mihi sacrator (edixerat optimus ille)
Tangere quisquis eris, caveas, aut ledere vates.
Inde famem terris, scelerum iustissimus ultor,
Accersens, quæ fulturam mortalibus agris,
Frugibus ereptis, veluti subduceret omnem:
Præmisit qui tecta suis sedesque pararet,
Illum fraterno scelere, atque immanibus ausis,
Servum cuitata factum vix cede Iosephum:
Qui post cōpedibus squalenti in carcere vinctus,
Transfixusq; animum curis, ut tempora demum
Sic illum decreta Deo effluxere probanti,
Imperio ipsius (dictu mirabile) Regis,
Liber & Ægypti dominator produit alter,
Hunc siquidem domuiq; suæ gazeq; Tyrannus
Præfecit: procures à quo totiusque Senatus
Pendere, & cuius mandata capeffere iussi.
Ecquis ita stupidus est & tardus ingenio, qui*

summam Dei prouidentiam in tantis illis mutationibus quæ in huius iuuenis vitæ curriculum conspicuntur, in periculis, in quæ venit plurima, in honoribus & dignitatibus, ad quas ex captiuitate & seruitute repête præter expectationem est euectus, non animaduertat?

g. David.

Si quis præterea vitæ Davidis curriculum spectet, iâ inde ab infantia vsque ad eius obitum, & quantis periculis ereptus sit consideret: nâ illum agnoscere & fateri, nisi sit plusquam plûbeus, oportet, Davidê iam à pueritia Deo fuisse curæ, & totû vitæ ipsius curriculum sua prouidentia Deum sic rexisse, vt nunquam ei in maximis angustiis constituto defuerit, sed præsens auxilium semper attulerit. Vnde, quæso, tantum illi animi robur vt tam intrepidè leoni & vrsô occurreret, prædam è faucibus eorum eriperet, in os inuolaret, & strangula-

1. Sam. 17.

ret? Vnde factum est, vt quum nihil nisi pastor ouium fuisset, nulla vel armorum vel rerum bellicarum scientia aut experientia præditus, tanta tamen animi alacritate & magnitudine giganti illi immani & formidabili Goliatho occurreret, & singulari certamine cum eo pugnam iniret, ad cuius aspectum totus Israëlitarum exercitus formidine percelleretur? Quæ vi, inquam, aduersus veteranum cataphractum militem prodiens inermis ipse, solam fundam & quinque lapillos in pera pastoralis gestans vno fundæ cõtorto ictu Colosseum illum Gigantem prostrauit, & proprio ipsius gladio caput illi amputauit? Quî factum est vt quum

toties

toties acie conflixerit, & comminus cum hostibus pugnarit, nunquam tamen legatur vel insidiis circumuentus, vel prælio superatus? Unde tandem accidit, ut quum Saul nullum non mouisset lapidem, ut vel eum interciperet vel etiam interficeret, irriti tamen eius semper fuerint conatus? Exigua verò sunt, & non magni momenti superiora omnia, si cum iis turbis & tumultibus cõparentur quæ in ipsius familia sunt excitatæ propter adulterium cum Bethsabea admissum, & eadem Uriæ serui fidissimi & optimè de ipso meriti: quibus peccatis vsciscendis paulò post factum est volente Deo, ut filius eius primogenitus Amnon sorori propriæ Thamari vitium inferret: & Absalomus alter ipsius filius, ut iniuriam sorori illatam vscisceretur, proprio fratris sanguine manus cruentaret, & propter hanc eadem patris iram vitans ad Tholmum filium Ammiud Regem Gessur confugeret, ubi triennium patria exulans exegit: quo tempore patris ira sedata, tandem ab exilio Ioabi & Thecuitæ mulieris consilio & opera reuocatus est.

Sed non longo tempore recepta dignitate & gradu in patris Regis domo quietus fuit. quin praua cõsilia agitans, primos duces sollicitarit & ad defectionem à patre, & decem Israëlitis tribus pertraxerit, & quò in maius odium patris veniret, palàm in totius Israëlitis conspectu patris concubinis stuprum intulerit. Rebus verò sic exulceratis, & eò redactis ut nulla spes esset eas componendi, nisi facto inter patrem & filium prælio, tandem ad manus

1. Sam.

20.21.22.

2. Sam. ii.

2. Sam. 13.

2. Sam. 15.

16. & 17.



2. Sam. 2.

ventum est. & quum iam pugnatum esset aliquandiu, Absalomus suorum acie inclinarā videns, fuga sibi salutē dū quærit, ecce iusto Dei iudicio comæ ipsius quercui adhæserūt, atque ira dū inter cælum & inter terrā pēdet, Ioabus tres in eum sagittas iaculatus cordi infixit, & sic misere Regis filium cæcīdit. Exin, ecce iterum nouæ turbæ ab homine nequam & facinoroso Seba, filio Bochri excitatæ, qui populum iterum ad defectionem à Dauide sollicitauit, vnde maximum imminebat Regi periculum, nisi maturè missis aduersus rebellantes copias sub Ioabi & Abisai auspiciis exsurgens veluti alterum incendium extinctum esset. Ex quibus omnibus annon licet Dei prouidentiam cuius non prorsus hebeti & saxeo animaduertere, & quantam Deus curam tum Davidis tū regni ipsius gesserit? Quod etiam Dauid apertè profitetur, Psalm. 59. præsertim, vbi Deum ipsum compellat his verbis,

Ast ego te fortem, te prima luce benignum,

Te refugium meum canam.

Nā mihi tu robur, Deus es, te carmine semper

Meum fatebor vindicem.

Et Psalm. 116.

Hæc mihi verba fides dictauit scilicet vna,

Afflicto miserè, & veluti iam perditā nobis

Cuncta forent, hominum mēdacia vota querēt:

Sed tibi quas tandē grates Deus alme repēdam,

Tot donis cumulatus ego? tibi nempe sacratas

Ipse redux sacrum fundam libamen ad aras:

Et te voce vocans, populorum astante corona,

Porro

Vota tibi gratus solvam.

Porro quàm plurima istiusmodi exempla ex Sacris producere non admodum esset difficile, ex quibus quantam Deus suorum servorum curam gerat omnibus fiat conspicuum. Veluti Eliâ, qui famis tempore, partim à corvis nutritus est, partim à vidua illa Sidoniana de Sarepta, licet plenam tantum volam farinæ in cado haberet, & paululum olei in phiala, quæ tamen non defecerunt vsque quòd tres anni & sex menses famis essent elapsi. Nec non & Elifai, quem Deus ex insidiis, quas ei copiæ equestres à Rege Syrorum missæ struxerât, sua providentia liberauit. Et Magorum Orientis, qui in somniis admoniti sunt ne ad Herodem reverterentur, ne quid ab eo sinistri paterentur. Infinita denique sunt istiusmodi alia, quibus quod de Dei providentia dictum est plenissime confirmatur, Nempe, non solum eam univ ersum Ecclesiæ corpus in genere curare, sed singulorum eius membrorum peculiarè curam gerere, in iis regendis, còducendis & inomnibus viis dirigendis, denique aduersus quælibet pericula tutandis, & ex iis etiam eripiendis.

Ex quibus omnibus exemplis magnum proponitur nobis argumentum admirandi immensam Dei erga nos benignitatem, qui quotidie nobis de rebus necessariis providet, & à nobis noxia quælibet procul arcet, in mœoribus nos consolatur, in agitudine reficit, lapsos erigit, errantes in viam reducit, ignorantes docet, pigros hortatur, pertinaces co-

4. Elias.

1. Reg. 17.

5. Elifæus.

2. Reg. 6.

6. Magi

exorien-

te.

Matth. 2.

Vfus doctrinæ superioris & exemplorum.



arguit, perditos quærit, in omnibus angustiis adest, dubios animi confirmat, aduersus aggredientes defendit, destitutos omnibus rebus necessariis subleuat, in desertis viam præbet. Denique in omnibus negotiis & difficultatibus præsto adest, adedò vt cum Dauide summam eius bonitatem admiratos meritò exclaimare oporteat:

*Psalm. 144. Ecquid enim tanto cur nos digneris honore
Mortales miseros commeruisse putem?
Mortales quibus est eheu nil vanius vsquam,
Et fugiunt quorum ceu leuis umbra dies?*

Veruntamen, vt alio loco docet Propheta, Deus licet miserrimum & calamitosissimum hominem, non modò non abiecit, sed eum contrà in summam etiam dignitatem extulit, adedò vt, ex Dei gratia tam sit sublimis factus, quàm erat natura vilis & abiectus. Quod ipsum etiam Dauid vehementer admiratus, exclamat,

Vah! inquam, quis homo est, quenam est hominum ista propago,

*De Ecclesia quam Deus, & cura, & tanto dignaris honore!
Doribus hunc siquidem ornatum decorisque corona,
Iussisti superos infra subsidere paulum:
Et manibus quacunque tuis, immense, creasti
Illius imperio ac pedibus submissa teneri.*

De Ecclesia quam Deus mi-
rabili ratione iam inde ab
eius incunabulis ad huc
vsque diuinitus est.

Iam verò quum plus satis ostenderimus quantam Dei prouidentia in suæ Ecclesiæ cura & sollicitudine appareat, qua sic eam complectitur vt etiam omnia eius negotia curet, tempus est vt

est vt ulterius progrediamur, & dicamus etiam aliquid de eadem prouidentia, qua suam Ecclesiam aduersus quælibet iam inde ab ipsius incunabulis vt ita dicam pericula defendit, & ex iis eripuit. Quod etiam quum in Ecclesiæ statu David animaduertisset iam inde ab ipsius primordiis, ingentem querelam ipsius nomine instituit, Psalmo 129. his verbis,

*Me sepe à puero, dicat nunc Israel, hostis
Aggressus omni est impetu:
Me sepe à puero aggressus crudeliter hostis,
Sed irritis conatibus:
Et qualis sulcos immitis ducit arator,
Sic tergus inarauit meum.
Illorum sed enim funes contortaque lora
Vindex bonorum discidit.
Sic dilapsa ruet multo suffusa pudore
Phalanx Sionis hostium.*

Et Psal. 124.

*Agendum fatère hoc Israel, & hoc predica
Nisi adfuisset nunc Deus,
Nisi adfuisset nunc Deus, tanto ferox
Quum irrueret hostis impetu,
Nos iste viuos tantus hostilis furor
Iam deuorasset integros:
Aut vorticibus iremus undarum obruti,
Alioque mersi gurgite,
Et putrida rapido natarent alueo
Hæc versa iam cadauera.
At te, Deus, qua laude nos dignabimur,
Rapti ex leonum faucibus?*

*Nos nempe ruptis aucupum istis retibus
Enspites euasimus.*

*Et istud omne munus est tuum, Deus,
Cæli solique conditor.*

Querelæ igitur Propheta etiam laudem Deo debitam coniungit, quod populum suum nunquam sic permittat tyrannorum furori, quin ubi castigandis suis & explorandis ipsorum fidei fuerit illis usus, tandem in eos ipsos suum furorem conuertat, ut eorum factum deprimat & contundat. Sic Esaias de Assyriorum tyranno loquens cap. 10. Atqui futurum est, inquit, quum perfecerit Dominus totum opus suum in monte Sionis & Ierusalem, animaduertam in fructum insolentis animi Regis Assyriæ, & in ornatum, elationemque oculorum eius.

Impiis exultantibus Ecclesiæ notas vires Deus sufficit.

Impij quæ Ecclesiæ afflictiones vident, eamque sæpe in tantas angustias redactam ut eius curam penitus abieciisse Deus videatur, ac proinde esse de illius salute conclamatum, vehementer exultant, & miseræ illi insultant. Quod ipse Dauid expertum se esse multoties conqueritur, inimicis ipsius in eum dictæria dicentibus: quorum hæc est summa,

Psal. 3.

Quin trita vox est ora per omnium,

In te relictum prorsus opis nihil,

Mortale robur nedum ab istis

Seruet ut incolumem periculis.

At tu iacentem me chypeo teges,

Abs te ut receptis rursus honoribus,

Germante sublimis renodem

Conspicuum caput hoc corona.

Et

Et alibi Psal. 71.

*Nam coeunt hostes, & secum multa loquuti,
Velut siem iam perditus,
Ite, aiunt, ope nudati hunc comprehendite, prorsus
Quem numen ipsum negligit.
At tu propius ades Deus, ah, Deus, oro precari
Succurre tu mihi celer.*

Quod non soli Dauidi, sed ipsi etiam Christo cum mortis angustijs & profundissimis doloribus luctanti contigisse videmus. Cuius quærum fuerit cogitationum summa, Dauid his verbis exprimit, Psal. 22.

*Ille ego quem quisque occurrēs trāsuersa tueritur,
Et ronchos sonat, & diducit turpiter ora,
Irridetque caput motitans, hæc q̄ insuper addit,
En, qui se Domino totum commiserat uni,
Eruat hunc igitur, circumstantique periclo
Eximat, & charum fidus conseruet amicum.
At tua me certè nascentem matris ab aluo
Suscepit manus: & nutricis ab ubere pendens,
Nempe tua vnus simul à bonitate pependi.
Iamque tibi sacratus eram, iam paruulus ore
Vnum te blaso Dominūque Deumq̄ sonabam.
Ergo ades, & ne me discrimina in ultima raptū
Desere, nanque potes solus seruare precantem.*

In quibus locis videmus magnum certamen fidei Ecclesiæ, in maximas angustias redactæ, & opiniones quas hostes de illa concipiunt. Illi nimirum animaduertentes tanta eam rabie à suis inimicis peti, & ingentes aduersus eam vndique copias cogi, & Reges ac principes in vnum conuenire, vt eam funditus extir-

O j



pent ac delectant, actum de ea putant, & à Deo penitus derelictam existimant: sed Ecclesia contrà tanto fortior & audentior est, sese aduersus quaelibet pericula & quaslibet hostium coniurationes obdurans, certò sibi persuadens ea verissima esse quæ Propheta Psalm. 136. Dei afflatus Spiritu dicit,

*Qui toties miseros & opis respexit egentes,
Nanque est perennis ipsius benignitas.*

*Et sauo toties saluos ex hoste recepit,
Nanque est perennis ipsius benignitas.*

Eadem Isaias propheta, vt fideles certiores reddat de cura illa ingenti Dei qua suos in maximis afflictionibus tuetur & protegit, sic ait 4. cap. prophetiæ, Quum lauerit Dominus excrimentum filiarum Sionis, & cædes Ieruschalaimorum abluerit è medio ipsorum, spiritu iudicij & spiritu ardoris. Creabitque Iehoua super vnumquodque habitaculum montis Sionis, id est, super conuocationes eius, nubem interdiu, fumumque & splendorem, ignemque flammantem noctu. Nam super totam gloriam erit protectio. Cuius tugurium erit umbraculo interdiu ab aestu, & receptui atque latibulo ab inundatione & à pluuia. Et cap. 26. v. 8. Etiam in itinere iudiciorum tuorum, Iehoua, expectamus te, ad nomen tuum, & ad memoriam tui fertur desiderium animæ. & 27. v. 7. An vt percussit percussorem eius, percuit eum? an vt interfecti sunt interfecti illius, interficiuntur? Moderatè emittendo eum contendis cum eo: illum aufert spiritu suo duro, quasi

quasi tempore Euri.

Christus etiam patrem suum supplex orans paulò antè quàm ad supplicium raperetur, quiddam in suis precibus inseruit ex quo magnam consolationem percipere debemus: nimirum, vt Deus preces ipsius exaudiens, à malo seruet eos quos ipsi dederat. Nemo verò dubitat quin Christus in omnibus orationibus & supplicationibus ad patrem, sit ab illo exauditus: vnde meritò inferre possumus, ab illo nos protegi & defendi, quum istud à patre filius efflagitarit. Sed & ipse defensorem se nobis in perpetuum aduersus potentissimos & superbissimos quosque hostes pollicetur, vt Dauid psal. 68. testatur.

Christi
vnius me
rito & in
tercessio
ne fieri
vt aduer
sus ho-
stium ra-
biem
protega-
tur.

Tu nos (nanque tibi sic visum est Optime rerū)

Ex Basan media, tu nos ex gurgite vasto

Sernasti, &c.

Et psal. 125.

Quippe vtristamontibus

Hinc & inde cingitur:

Sic Deus suos bonus

Cingit usque peruigil.

Zacharias visis quatuor cornibus, Angelum qui cum alloquebatur, interrogauit, Ecquid illa sibi vellent. & respondit ei Angelus: Illa sunt, inquiens, cornua quæ sparserant Ichudam, Israellem & Ieruschalaima. Deinde ostendit ei Ichoua quatuor fabros: Et quum diceret, Quid isti veniunt facturi? eloquutus est Angelus dicendo, Illa cornua quæ sparserant Ichudam, aded vt qui quam non extule-

O ij

rit caput suum, iam venerunt isti ad detren-
dum illa, ad deiiciendum cornua gentium, quæ
fustulerant cornu in terram Iehudæ ad spar-
gendum eam. Sic igitur in hunc sensum David

Psal. 125. Psal. 125.

*Nec suos semper finit
Opprimi tyrannide,
Ne boni tandem suas
Scelere polluant manus.*

Et psalm. 97.

*Vos ergo æternum vero qui numen amore
Diligitis, vitium exosi, quacunque procella
Incumbant miseris, tempestatesque malorum,
State hoc inuicti cunctis custode periclis.*

Bandem Ne putemus igitur Ecclesiam perito gu-
ex ma- bernatore destitutam, à quo quum fuerit ven-
gnis tem- tis agitata, & fluctibus & procellis impetita,
pestati- regatur: nec cogitemus, eam, licet ingentibus
bis ere- istis agitatam tempestatibus naufragio facto
ptam, in mediis in vndis perituram, quum Deus ad gu-
portum bernaculum sedeat, &, vt Prophetæ verbis v-
deduci. tar, iubente Deo

*Æquora iussa cadant subitò, fluctusq; silentes
Tranquilla lambant littora.*

*Incolumes illi optato se littore condant
Miris ouantes cantibus.*

Et vt David testatur Psal. 66.

Psal. 66. *Hinc igitur (noster namq; est Deus iste) predicate,*

Huius perennes personate laudes.

*Hic siquidem vita nos reddidit, iste nos potente
Dextera benignus fulciit ruentes.*

*Nã tibi sic visum nos est, Deus, ignibus probare,
Arden-*

Ardente ut aurum percoquant camino.
Tute tuis captos nos castris, eheu, illigasti,
Arctæq; cinctos vinculis catena.
Nostrum pressit, eques senus, caput impotens ty-
Ut bestiarum terga consuerunt. (rannus,
Nos rapida flammarum incendia sensimus furētum,
Nos per rapaces inimus procellas.
At tu nos istis nunc faucibus ex periculorum,
Aprica ducis liberos per arua:
En igitur tua apud sacraria victimis onustus,
Et vota duris nuncupata rebus,
Et cerō iurata exolvere comparatus adsum,
Fuso hostiarum pinguum cruore.
 Tempus est ut tractatui isti de providētia Dei Superio-
 rum con-
 finem imponam, qui ex alto cœlo nos intue-
 tur, ut nos in omnibus periculis, siue parvis si-
 ue magnis sua præsētia defendat ac tueatur, clusio &
 adēd ut, si quæ fortē eiusmodi ingruāt tempe-
 states, ex quibus nulla sit nobis amplius vn-
 quam emēgendi spes reliqua, debeamus ad doctri-
 nos erigendos & animum confirmandum, & conso-
 lationis
 hanc Prophetę sententiam de Ecclesia loquen-
 tur.
 tis in memoriam reducere, Psal. 46.

Perstabit, inquam, tuta numinis incola

Psal. 46

Potente ciuitas manu.

Deūmque primo à Solis ortu senties

Adesse praesidem sibi.

Et paulò post.

Namq; ille totus noster est, nostra hic salus,

Deus Iacobi prepotens.

Cum Dauide igitur sic concludamus,

Quippe omnis in te nostra sita est salus,

O. iij.

*Et in vicissim muneribus nouis
Gentem tibi vni consecratam
Assidue cumulas benignus.*

Aliud ef-
fectum
insigne
Dei pro-
viden-
tiae, nos à
Satanæ
furore
vindican-
tis.

Deus porro non tantum nos aduersus hostes visibiles, putà carnem & sanguinem, mundum & tyrannos protegit ac tuetur: sed etiam aduersus diabolum, qui spiritus impurus regit impios, & eos impellit vt Ecclesiam oderint cane peius & angue, eamque persequantur & radicitus extirpent, nisi furorem eius immensum Deus sua potentia & prouidentia frānaret & cohiberet, sine cuius permisso nihil potest exequi, aduersus eos præsertim qui vera fide præditi, Deum etiam sedulo precantur, Ne inducat eos in tentationem, sed à malo liberet.

Et aduer-
sus passio-
nes no-
stras pro-
regentis.

Deus etiam nos aduersus affectiones & passionibus nostras defendit, à quibus sæpe vt ventris furentibus præcipites ferremur in quælibet auia, nisi Deus illas sua prouidentia & sancto Spiritu coërceret ac reprimeret. Quod in Dauide & fidei aliis excellentibusque Dei seruis est conspicuum. Nam quum Dauid in animum induxisset totam Nabalis familiam gladio perdere, iamque se in viam dedisset, animi motum reipsa impleturus, ecce obuiam illi à Domino mittitur Abigail, cuius sapientissima oratione flexus ab incæpto destitit: Deoque gratias egit, agnoscens hoc sibi diuinitus impedimentum occurrisse. Quod etiam disertis verbis in historia Samuelis exprimitur, 1. Sam. 25, vbi sic Dauid Abigailem, aucta eius ora-

oratione alloquitur, Benedictus sit Iehoua Deus Israelis, qui misit te hoc ipso die obuiam mihi. Et benedictū consilium tuum, benedictaque tu ipsa: quæ cōtinuisti me hoc ipso die, ne inirem cædes, & vindicaret me manus mea.

D. Paulus etiā minas & cædes spirans aduersus Domini discipulos, & literis armatus quas à Summo Sacerdote acceperat, vt Damasum profectus, Ecclesiam persequeretur, quas strages edidisset, nisi Dominus Christus obuiam illi factus in itinere furorem eius compescuisset: Quàm etiā benignè Dominus repressit suorum discipulorum ambitionem, qui contendebant inter se quis eorum maior esset futurus, in se proposito summæ humilitatis exemplo, sic aiens, Vter maior est, qui accumbit, an qui ministrat? Nonne qui accumbit? At ego sum in medio vestrū vt qui ministrat.

Paulus.

Act. 9.

Apostoli

Luc. 22.

Quomodo item Petri superbam & stultam iactantiam cohibuit, qui contra præceptoris admonitionem, se sociis suis omnibus longè fortiolem existimans Christum sic compellabat, Domine tecum paratus sum & in carcerem & ad mortem proficisci. Iesus verò dixit, Petre, Dico tibi, Nō mitter vocem hodie gal-
lus prius quàm ter neges me tibi notum esse.

D. Petrus.

Luc 22.

Quid de Zachæo dicam, ex cuius corde prauam illam cupiditatem habendi & auaritiam eradicaui, qua prius totus ardens in proximorum facultates sine discrimine inuolabat? Et tamen Iesus Christus domum eius ingressus,

Zachæus.

Luc. 19.

O iiii

animum eius momento immutauit, adeò vt postea tanto sit factus liberalior quanto antea fuerat sordidior atque tenacior.

Aduer-
sus iræ
sue & in-
dignatio-
nis sen-
sua affe-
rit.

Denique Deus nos per suam misericordiam aduersus suam ipsius iram & iustitiam tuctur ac protegit, quos sanè alioquin hostes acerrimos experiremur, à quibus vel momento absumeremur, velut ignis adurens obuia quælibet longè latèque depopulatur, nisi vtramque eius misericordia longè superaret & leniret, quæ sic vtramque temperat & moderatur, vt pro excidio quo digni sumus, paternè tantùm castigemur & corripiamur. Sic precatur Habac. cap. 3. suæ prophetiæ, Deum sic alloquutus & deprecatus. In ira tua memento misericordiæ. Quod etiam cum his Dauidis verbis Psalm. 103. pulchrè conuenit,

*Clementis vsque plenus indulgentiæ,
Bonitate abundans, tardus irasci Deus.
Offensionum haud persequutor pertinax,
Irās-ve iustas nescius deponere.
Hinc ille nobis asper haudquaquam fuit,
Delicta dignis nostra pœnis vindicans.
Et paulò post.*

*Qualis paternus animus est in liberos
Ipsam verentes talis hic complectitur.
Nanque ipse nostrū n nouit ortus omnium,
Tenuique meminit nos sotos ex puluere.*

Peculia-
ri Dei
proui-
dentia
Ecclesiæ

Ecclesiæ propriæ sunt afflictiones perpetuæ: Decreuit enim Dominus & vult ipsam conformem fieri Christo capiti in eius cruce & tribulationibus, antequam ad eius gloriam in cœlis

coelis repositam perueniat. Adde quòd ad corruptionis reliquias, quæ post regenerationem adhuc in illa supersunt, paulatim tollendas, necesse est illam perpetuò exerceri, & velut aurum igne probari, vt magis ac magis excoquatur, quòd scoria sordésque adhuc ipsi inhærentes calore velut attrahantur & expurgentur, quòd tandem omni ex parte sanctificata, sine ruga ac macula Deo patri offeratur.

ex calamitatibus liberari.

Verum enim uerò licet maximis obiecta sit periculis, & nonnunquam illis sic obruatur, vt nusquam emerfura videatur, Deus tamen illam semper subleuat, & enatare facit, nullamque tentationem vnquam illi euenire permittit, cuius non felicem lætúmque reddat exitum. Quod ipsum Dauid psal. 34. sic prædicat,

*Vtque bonos mala plerunque infinita fatigent,
Malis medetur omnibus.*

*Nec patitur cunctis illorum ex ossibus ullum
Vllis ruinis obteri.*

Et psalm. 60.

*Duram heu traximus asperamque vitam,
Amentes, stupidi que, ceu profundo
Sepulchri penitus iacent veterno,
Qui soporiferos bibere succos.
At tu nunc melior tui timentes
Signa efferre iubes, tuæq; tutos
Firmos subsidio ire veritatis.*

Certè liberationes Ecclesiæ fuerunt semper inde à mundi initio insignes & admirandæ. Nec enim Ecclesia potest gloriari se suis viri-

Ecclesia sola diuina prouidentia &

potētia,
non autē
humanis
viribus
aut con-
siliis li-
beratur.
Psal. 44.

bus, industria, arcu, gladio, equis, armis, aut
ylla humana vj suis creptam hostibus, sed sola
Dei prouidentia, & brachij ipsius vnus robo-
re, vt ipse Dauid profitetur.

*Nam sua non illis peperere hanc arma quietem,
Nec sua tam multis exemit dextra periclis:
Sed tua, summe Deus, vis & manus vna, tuig;
Caelius affulgens radiantis gratia vultus:
Sic tibi nanq; Deus placuit, Ter maxime, prole
(Atque vtinam semper placeat) seruare Iacobi,
Te duce terribiles cornu detrusimus olim,
Et pede prostratos vltro calcavimus hostes.
Non etenim hac arcus, non ensis gloria nostri.
Quin tu nos vnus seruasti, terga coactis
Infami prabere fuga, quos ante superbis
Vidimus infestos animis nos tendere contra.*

Varia e-
xempla
quibus
hæc com-
proban-
tur.
1. Noaci.
Genes. 8.
& 9.

Sed ista melius exemplis cognoscuntur. Ac
primū Noaci, diluuiū, cæteris pereuntibus,
mirabili modo seruati. Fuit enim à diluuiū
saluus & incolumis in Arca, cuius proportio
& mensura si quis eam attentē consideret vix
mille ducentorum, aut mille quingentorum
dolorum capax erat, & tamen in ea Noacus
cum tota familia, cum omnibus speciebus
auium & cæterorum animalium, & alimentis
omnibus illis propriis ac necessariis cōclusus
seruatus est: quum in fœtore stercoreis & ex-
crementorum eorum animalium, quæ ibi con-
tinebantur, annum integrum exegisset, quo
dum elapso, & Arca egressus, terram quæ
tot tantisque aquis diluta & quasi liquata fue-
rat, sic eam & aridam vti prius fuerat, inuenit:

Rem

Rem sanè modis omnibus admirandam.

Abrahamus postquam in mandatis accepisset à Domino, vt solo natali egrederetur, & cognatos, amicos, prædia, cōmoditates, delicias, quietē denique relinqueret, vt velut errabundus in locum ignotum, à Deo nimirum illi nō peculiariter declaratum, cōmearer, inde à suo egressu vsque ad tēpus illud quo cœpit quietem aliquā in terra Chanaan percipere, quā multa tulit, & quantis cum laboribus & periculis est luctatus, morte primū sublato in itinere Thare patre ipsius, deinde accedēte Saræ vxoris sterilitate, tum rixa cum Lotho nepote ex fratre oborta propter sedes, tandēque etiam rusticis moribus Barbararū gentium & incognitarum quibuscum versabatur, quietem eius turbātibus? Deinde quum fames eum modò ad Pharaonem in Ægyptum, modò ad Abimelechum in Gerar expulisset, quantum abfuit quin vel in mortis periculum veniret, vel vxoris eius pudicitia vis adferretur? Quibus superatis difficultatibus, quantum putas incurrit periculum, quū vt Lorhum fratris filium, & res vicinis ereptas recuperaret, in quatuor reges Orientis, & quidē victores impetū facere coactus est? Et paulò pōst, quantus illi mœror accessit, quum vt Saræ & Deo iubenti morē gereret, Ismaelem filium suum cum Agare domo expellere coactus est? Verū hic ad superiora omnia cumulus dolorum accessit, quum Deus iussit eum Isaacum filium suum vnicū & dilectum sibi in sacrificium offerre, in quo promissiones omnes patri Abrahamo

2. Abra-
hami.
Genes. 12.

Genes. 11.
Gen. 16.
Genes. 13.

Gen. 12.
& 20.

Gen. 14.

Gen. 21.
Gen. 22.

factæ residebant: ac proinde quo sublato promissiones irritæ fiebant, & fœdus cum Abrahamo percussum, cessantibus promissionibus, in fumos abibat. Ne mirum est quomodo mille moribus enectus, sub pondere tantarum ærumnarum non succubuerit! At Deus illum sua providentia ex tantis illis difficultatibus eruit.

Iosua.
Ios. 10.
& 11.

Omitto Iacobum, Iosephum & alios qui in desertis quadringentos annos errarunt, de quibus anrea diximus. Ad Iosiam venio, Moïsi in deducendi populi munere successorem. Is multa prælia confecit aduersus omnes Reges illius terræ quam populo suo Dominus promiserat: non tamen, ut est verisimile, sine multis magnisque periculis, quum gentes, aduersus quas bellum gerebat, essent bellicosæ, reique militaris admodum peritæ, & regio ipsarum natura munita esset, urbesque rebus omnibus ad bellum necessariis instructæ, & incolæ ad quæuis extrema toleranda quò suis finibus hostem repellerent essent parati. Nam agebatur de aris & focis, de patria, de vita, de vxoribus & liberis. His tamen omnibus periculis à Domino sine damno aut iactura vlla insigni in rebus istis acquirendis ereptus est. Quæ non nisi diuinæ Providentiæ peculiari & insigni ascribi possunt, à qua in omnibus negotiis pendebat, & regi se patiebatur, quæ in omnibus illi benedicebat, & omnia ipsius consilia bene fortunabat: quemadmodum etiam erat illi Deus pollicitus, quum populum suum regendum
illi

illi commisisset, & Legis librum commendasset, obtestatus nimirum fore ut si ex præscriptis in co legibus vitam, mores & consilia institueret, omnia ipsius negotia & conatus felicem semper exitum sortirentur.

Ios^æ

Davidis verò inimicos quis numeret aut no-
minet, quis dicat perfidiam eorum, quis infidelitates, quis artes quibus eū persecuti sunt, insidias quas struxerunt, temporis diuturnitatem quo eum infectati sunt, quis populi defectionem à Rege, ad quam Filius ex ipsius renibus genitus eum sollicitarat, quis denique coniurationem præcipuorum ipsius consiliariorum, ducum, & seruatorum domesticorum recenseat? Deus tamen, qui de Dauide dixerat, se hominem inuenisse secundum cor suum, perpetuo eum fauore & studio prosequutus, omnibus exemit periculis, & in eum honoris gradum quem promiserat euexit, Regemque eum populi sui Israelitici, inuitis licet & repugnātibz ipsius hostibus, & omnem lapidem, id ne contingeret, mouentibus stabiliuit: sicut ipse Dauid prædicat, Psal. 144.

4. Davidis.

Te Deus alme cano: cuius sic munere pugnis

Hæc habilis tractat fori a tela manus.

Tu mihi nanq; bonum rebus tutamen in artibus,

Tu scutum & rupes, tu mihi certa salus.

Nam quod me populus Regem subiectus adorat,

Omne tui est, fateor, grande fauoris opus.

Et paulò pòst.

Te Seruatorem Regum tunc carmine dices

Ille tua Dauid sic rediuium ope.



Hæc laudis epitheta quæ Deo tribuit David, quibus tam magnificè Deum prædicat, & gloriam eius celebrat, satis ostendunt ipsum gloriam suam nō quæsiuisse ex insignibus illis gestis bellicis, sed vnus Dei bonitati & prouidentia, quam in omnibus ducem erat sequutus, acceptū retulisse quicquid erat in illis gestis insigne. Psal. enim 18. in has laudes erūpit,

Vine æterne Deus, cunctipotens Deus:

Te laus nanque decet, gloria te decet,

O qui me toties iam velut obrutum

Seruasti incolumem, Deus.

O, quo ultore caput tollere iam licet,

O, nostro populos subyciens iugo,

O, quo auihore feror liber ab hostibus,

Illique erutus improbo.

Heb. II.

Tempus me deficeret, (vt ait Apostolus) sigillarim Eliæ, Elisæi, Ieremiæ, Ezechia, Danielis, trium virorum in fornacem iniektorum, Michææ, Ionæ liberationes & in primis Ægyptiacam & Babylonicam persequentem: quarum hæc duæ postremæ fuerūt omnium maximè celebres, quod præ reliquis fuerunt insignes, & in illis Dei prouidentia peculiari quadam ratione resplenduit: si denique Petri & Pauli etiam multis modis admirandas liberationes enarrarem.

Aliud
prouidentia
vix testimonium
ex singulorum
liberationibus.

Verum hoc vehementer expeto & efflagito à singulis fidelibus, vt singuli diligenter annoient, quæcunque ipsis ab infantia peculiariter cōtingerunt, & maximè ex quo Gallia nostra tot obortis tempestaribus cæpit concuti:

in qui-

in quibus Dei prouidentiam peculiarem stupidus sit qui non agnouerit. Nec enim dubito quin eā quisque in se sit expertus, siue pericula respicias ex quibus elapsus est, siue etiam vitæ huius commoditates quas accepit diuinitus, siue etiam varia in quæ incidit rerum discrimina, tum in ipsius salute tū in hostium ruina consideres. Ad quod foret commodum, diaria singulos habere, in quibus tum beneficia diuina insigniora, tum Dei iudicia quæ sunt experti, diligenter conscriberent, vt his ad timorem erudirētur, illis verò ad amorem excitarentur. Nam semper aliū hæret in memoria quod ipsi sumus experti, quàm quod aliis audimus contigisse.

Nostro seculo plurima in Europa vidimus memoranda diuinæ prouidentiae miracula, in multorum tyrannorum repentina morte, qui de extirpanda Ecclesia consilium inierāt: quæ potissimum euenit eo ipso momento quo suorum consiliorum exitum exspectabant: quorum morte nonnihil recreata Ecclesia, ad tempus respirauit.

Ex aliis plurimis admirandis quæ nostro seculo contigerunt. Morstyrannorum.

In Germania, quum vrbes omnes in potestatem Imperatoris venissent, excepta vnica Magdeburgo, quam acri premebat obsidione, adeo vt penè de patriæ statu, & religionis libertate actū esse videretur, miraculosè Deus Galliarum Regem excitauit, (qui parum alioqui Religionis sectatoribus fauebat) & Ducem Mauricium, cuius opera tamen paulò antè in seruitutem erat patria ipsius redacta, &

Magdeburgum.

cui obsidionis illius cura erat demādata: quorum duorum opera suæ libertati patria reddita est, Hispano ex ea fugato, & rebus omnibus in pristinum statum restitutis.

Rupella.

Alterum miraculum apud Rupellam extitit memorabile: quæ quod profugis & lanienæ illi (cui faciendæ Nuptias prætexuerant) ereptis Religionis reformatæ cultoribus profugium & hospitium præbuisset, octo mensium obsidionem acrem & furiosam passa est, & maiorum tormentorum globis tricies duobus millibus impetita. Et quum iam commectus eam & munitiones bellicæ deficerent, ac proinde magnopere metuendum esset ne si in eam hostes impressionem facerent, in eorum potestatem veniret, excitauit Deus gentem supra quingenta milliaria diffusam, quæ obsidionis soluendæ, & libertatis occasio & causa non parua fuit.

Quis sit
istorum
exemplo
rū vsus.

Quæ exempla & istiusmodi infinita pene alia quæ nostro seculo contigerunt quoties nobis in memoriam venerint, venire autem sæpe debent, magnam vim habebunt in nobis erigendis, & confirmandis, certò scientibus, Deum, qui omnium pater est, sua prouidentia nobis omni tempore, omnibus locis aduersus quosuis hostes adfuturum, & semper nouam occasionem in eius laudes erumpendi suppeditaturum & cum Dauide dicendi,

Psal. xix.

*Pressus hunc angustis
Sum precatus unicum.
Ille me ex angustis*

Liberauit

Liberavit unicus.
Nactus hunc ego ducem
Quo pauore terrear?
Et paulò post de hostium suorum multitudine
& animositate loquens, dicit,

Ecce, nam me cinxerant
Mille gentes undique:
Fretus ipse numine,
Nomen eius inuocans
Mille gentes reppuli.
Me profectò cinxerant,
Hinc & inde cinxerant,
Vnius quos numinis
Inuocato nomine
Irruentes reppuli.
Mille me, inquam, gentium
Maximo cum murmure
Cinxerant examina,
Sed velut mox concidit
Flamma spinis subdita,
Omnis ille sic furor
Corruens euauit,
Vnius quem numinis
Inuocato nomine
Mox ego compescui.
Ergo tu hostis nixus es
Et dolis & viribus
Innocentem sternere.
Dextra sed me numinis
Corruentem fulciit.
Et alibi Psalm. 56.

Meq; unà vocibus tuis fretum fouet,
P. j.

Mortalium immotum minis.

Et sub finem Psal.

Verbum tuum Deus, tuum verbum Deus,

Hoc illud est quod prædico,

Hoc illud est quod me usque & usque sustinet,

Mortalium immotum minis.

Maxima
Ecclesiæ
libera-
tio.

Magnæ sunt igitur liberationes Ecclesiæ, quas Deus omni ævo fecit, & quotidie adhuc efficit, quoties illam è faucibus tyrannorum eripit, & dignæ quæ ab omnibus cognoscantur & prædicentur: sed quantulæ sunt illæ si cum incredibili & admiranda semel facta populi Dei liberatione comparentur, quum filium vnigenitum suum dilectum in terras misit, vt populum suum à captiuitate peccati, mortis, Diaboli, & à Legis maledictione liberaret? Ne hæc liberatio tanta est vt suo splendore reliquas omnes obscurer? sed, malum la paucis agnoscitur, & ij à quibus agnoscitur in ea celebranda segniore sunt quàm oporteat, & in Deo laudando, & gratiis ipsi agendis tardiores.

Admi-
randa
Prouiden-
tiæ Dei
vis in Ec-
clesiæ gu-
berna-
tione.

Admiranda præterea vis & immensa virtus potentia diuinæ in Ecclesiæ administratione & statu conspicitur, quum singulas illius partes diligenter cōsiderauerimus. Primùm enim, vt de ea in genere aliquid dicam, Ecclesiæ semper fuit grex paruulus, & populus, vt ait Isaias, lacerus, dilaniatus, pressus: cuius etiam miseriæ & afflictiones stuporem cum intuentibus adferant. Præterea notandum est scripturam de Ecclesia loquentem, & gregem eam nominantem, non appellare taurorum aut leonum

num greges, qui viribus præstant, & vel audet Quæ li-
 ipsi alios aggredi, vel se aduersus aggressores cet infir-
 tueri: sed ouium gregem quibus nullæ sunt ad ma & de-
 resistendum vires, & quæ omnium expositæ li- bilis.
 bidini, seu capiantur, seu trahantur, iugulen-
 tur, tódeantur, excoriantur, ad nullas iniurias
 aut obmurmurantes aut se vindicantes, patien-
 ter omnia tolerant. Quas nihilominus vide-
 mus in sua simplicitate & patientia iam inde
 à mundi initio, in hunc vsque diem augeri &
 perseuerare. Quod non contigit magnis illis
 Monarchiis & Imperiis, quæ in omne seculū Perma-
 duratura videbatur, siue imperiorū magnitudi net ta-
 nē aspicias, siue ingētes vires quibus nitebatur, men ca-
 siue sapiens quo regebatur consilium: denique dentibus
 ingentes reditus & facultates quas hinc inde Monar-
 corrasas cumulabant: sed quæ tamen omnia chiis &
 collapsa sunt: quorū vt prius parua fuerāt Impe-
 mordia, sic fuit etiā exitus & vltima periodus. riis.

Excipiat aliquis, illa paulatim oculis cōsiliis
 & bellis vicinarū gētiū, & Barbararū nationū
 attrita occubuisse: sed annon vicissim idem de
 Ecclesia dicere licet, quæ iam supra millesimū
 quingentesimū annū bellis imperita, perdurat? Et susten-
 Quæ quidem non tantū aduersus carnem & tatur in
 sanguinem gessit: sed etiam aduersus diabolos ter varia
 & aëreas potestates, cum quibus nec pacē nec certami-
 inducias vnquā pacta est. Et tamē opprimi nū- na.
 quā potuit, quicquid aduersus eā hostes ipsius
 innumeri, fortes, potētes, callidi, fraudulēti, vi-
 gilātes, acres, & malis omnib⁹ metuēdi moliti
 sint, vt funditus eā euerterēt. Ex quibus satis ap-

P. ij.

Frustra **ringen-** **tibus i-** **psius ho-** **stibus.** paret, eam altissimi & potentissimi numinis manu sustineri. Et sanè nisi qui hodie aduersus eam odiis inueteratis & capitalibus insurgunt, prorsus amentes & stupidi essent, facile animaduenterent vana esse & inutilia quæcunque aduersus eam struunt & moliantur: sed tantus furor tantæque pertinacia eos excæcat, vt se putent sperentque viribus & copiis ad eam penitus extirpandam longè superiores & instructiores fore tyrannis omnibus quotquot eos lapsis seculis antecesserunt.

Deinde **Ecclesia** **solo Dei** **verbo re-** **gitur.** Aliud est præterea in Ecclesiæ gubernatione prorsus admirandum, quòd nempe, Verbo Dei solo regatur: quum tamen in regnorum & magnarum rerum publicarum administratione multa sint adminicula necessaria, putà Legum multarum, Edictorum, Statutorum, Diplomatum, rituum penè infinitus numerus: quibus adde Iudices, Præfectos, Prætores, Cancellarios, Præsidentes, Consiliarios, Aduocatos, Procuratores, Liectores, Apparitores, Tabelliones, Scribas, & cætera id genus supra numerum officiorum nomina. Quæ tamè omnia componendis litibus, & in pace regendis populis, & possessionibus cuique conseruandis, & pace inter ciues & subditos fouenda vix sufficiant.

Dei ni- **mirū le-** **ge quæ** **decē præ-** **ceptis** **contine-** Sed in Ecclesia & regno Christi, cuius fines ac termini sunt orbis terrarū extrema, decem sola præcepta, quorum etiam potest summa duobus cōtineri capitibus, cum simplici promissione Evangelica, adiuuante tamen inter-

na

na & secreta Spiritus Dei virtute, satis magnā vim habent ad componendum membrorum eius non tantum externum statum, sed etiam interiorem, nimirum conscientia, & ad extirpandam ex ipsorum animis auaritiam, ambitionem, voluptatem, iram, impatientiam, & reliquas in illis inherentes prauas passiones & cupiditates penitus euellendas. Quod nunquam assequi potuerunt quotquot Leges politicas sapientissimi legiflatores, variis temporibus & diuersis nationibus conscripserunt.

Est etiam aliud quiddam in Ecclesiæ gubernatione summa dignum admiratione, Pastores nimirum, qui huius gregis administrationi præficiuntur, minimè ex nobilium, sapientum, diuitem, eorum denique numero qui plurimū apud suos pollent dignitate & auctoritate deligi, sed contrā vocari ad istud munus simplices & idiotas, ignotos, & nullius apud homines existimationis, quos præterea non pluris faciat mundus quàm peripsemata & purgamenta, cuiusmodi fuisse videmus Prophetas & Apostolos, & qui eis successerunt fidos verosque Dei ministros. Quantas tamen Deus per illorū ministerium & quàm magnas res, præcipuè per Apostolos effecerit, totus orbis testis est, qui licet iis omnibus destituti quæ Legatos Regum apud gentes commendant, putā maiestate, auctoritate, eloquētia, nobilitate, rerum humanarum scientia, vfu, experientia rerū politicarum, nihilominus tamen annorum viginti quinque aut triginta spatio vniuersum

tur. & vñ
nica Euā
gelica
promis-
sione: co-
mitante
tamen il-
lam vir-
tute S.
Spiritus.

Tertiò,
Pastores
eius qui
apud pro-
ceres sū
nullius
pretij.

Et tamen
admira-
tione res
dignissi-
mas per-
ficiunt.

P. iij.

orbem peragantes, Christo subiugarunt, impietatem omnem & idololatriam profligarunt: ad quam tamen homo natura sua corruptus & vanus, atque ideo ad omnem vanitatē proclivis, præceptis fertur, & reliquis omnibus rebus anteponebat: tandemque consilia, errores, abusus, falsas doctrinas, & quidquid aduersus Dei cognitionem sese attollit, tanquam captivam ad Christum omnem cogitationem ducentes, subuerterunt.

Quarto, Aduersarij Ecclesię vix quæ ante pedes sunt
 Arma ipsius qui
 lippis oculis intuentes, & omnia ex suæ rationis sensu metientes, Ecclesiam existimant armis & propugnaculis destitutam, exiguo momento & facile vinci posse & superari. Sed errant toto cœlo, tandemque suo periculo sentiunt illam omnibus esse armis instructissimam, & omni tempore inuictissimam, quum propriis armis tegitur, quæ sunt, Deus ipse primùm, cuius fauore & beneuolentia quasi scuto circumdatur, & sub alarum eius umbra protegitur, & quasi oculi pupilla custoditur.

Deus.

Psal 5.

Psal 17.

Fides.

Heb. II.

Innocentio.

Exod. 17.

Deinde Fides, qua quondam armati Gedeon, Barach, Simson, Iephthe, Dauid, Samuel, & plerique alij regna debellarunt, iustitiam exercuerunt, promissiones assequuti sunt, ora leonum occluserunt, vim ignis extinxerunt, acies gladij effugerunt, validi facti sunt in præliis, effecti sunt robusti ex imbecillis, exercitus peregrinos in fugam verterunt. Tertiò Inuocatio. Hac ab Israelitis prælio victus est Amalech, vt Exod. 17. scriptum est: Et Goliath à Davide

uide debellatus, 1. Sam. 17. & Ieroboamus à Da- 1. Sam. 17.
uide 2. Chron. 13. Et Zara Aethiops ab Afa. 2. 2. Chron.
Chron. 14. & Ammonitæ, Moabitæ & qui mō- nic. 13. &
tem Seir incolunt à Iosaphato. 2. Chron. 20. 14.
Denique vera & sincera vitæ conuersio, qua Vitæ cō-
toto corde ad Deum conuertamur, & ab eius uersio,
oculis quicquid ipsius iram in nos commoue-
re potest remoueamus. Quam rationem Phi-
listinos superādi populo Dei proponebat Sa-
muel, quā sequuti superiores facti sunt, 1. Sam.
7. Et David suo testimonio id ipsum compro-
bans, psal. 81. vbi Deum loquentem, & de po-
puli sui peruicacia & duritie, quæ malorum
omnium erat illi causa, conquerentem intro-
ducens, ait,

*Heu cur non potius me meus audiens
Mandatis populus paruit hic meis!
Hostes sub pedibus nunc tererent feros,
Quos conuersa manus hæc mea sterneret.
Hostes ipse meos nunc ego perfidos
Illorum attonitos sub iuga cogerem,
Securique mei robore numinis
Veris affluerent assidue bonis.*

Præterea in Ecclesiæ gubernatione, fides est Quinto.
admodum admiranda: quum homines naturā Fidei ex
sibi tantum ea persuaderi patiantur, quæ suis cellentia
sensibus & ratione perceperunt: & imprudens & vis ad-
ac stolidus habeatur qui sine discrimine quic- miranda.
quid narratum fuerit, tanquam verum exce-
perit.

Verumenimvero salutis promissiones, &
quæcunque Christus ad eas perficiendas fecit

P. iij.

& passus est, non modò non conueniunt, sed
 contrà maximè repugnant humano iudicio:
 & maximè duo ex præcipuis articulis fidei no-
 stræ, Creatio & Resurrectio, rationi nostræ vi-
 dentur *αδύνατοι*.

Donum Nihilominus tamen quot fuerunt inde ab
peculia- initio seculi, & hodie sunt adhuc myriades vi-
re Dei e- rorum, fœminarum, infantium qui summa a-
lectis cõ- nimi alacritate annuntiatum Dei verbum ex-
cessum. ceperunt & amplexati sunt, licet rationi suæ
 & superstitiosis ritibus quibus erant dediti ex
 diametro repugnaret?

Sextò. Quantum item est miraculum, animorum
Charitas. & voluntatum vnio & summa cõiunctio, qua
 singuli totius orbis fideles inter se coniuncti
 sunt, licet linguis, moribus & ritibus inter se
 differentibus vtantur?

Septimò Et, vt tãdem absoluaui, annon est omni ad-
Sponta- miratione digna illa spontanea obedientia &
nea fide- submissio, quam suo Regi tot nationes & po-
lium o- puli præbent, qui se illi vltro ac sponte per
bedien- verbi ipsius prædicationem submiserunt? Quod
tia. etiam Dauid considerans, cum admiratione
 psal. 110. in hæc verba erumpit,

*Sionis autem ab arcibus
 Prodiit istud præpotens
 Auctore sceptrum numine,
 Quantumlibet rebellium
 Regnator vt sis hostium.
 Vltroque victori tibi
 Ducent triumphos, splendidis
 Sacrisque cincta vestibus,*

Sponte

Sponte obsequentum militum

Ille tuorum copia.

Et Qualis aurora ex sinu

(Cœleste donum) prodians

Ros prata pingit gemma,

Infantium proles tibi

Talis orietur cœlitus.

Iuravit hoc enim Deus

Fallente nunquam dextera,

Melchisedec qualis fuit,

Sacratus es talis mihi

Sectis sacerdos omnibus.

Postremum in Ecclesiæ gubernatione miraculum est, quòd in hostium ipsius medio conseruatur, velut oues inter lupos, aut bonum frumentum inter paleas: immò etiam Christus Rex ipsius, atque ipsa proinde in medio suorum inimicorum regnat. Et ea quibus alia regna pessundantur, & funditus euertuntur, putà bella, huic regno maiora in dies incrementa & robur adferunt. Est enim arboribus illis Ecclesia non absimilis quæ in montis altissimi cacumine plantatæ, quò magis agitantur tantò altiores & validiores radices agunt: ex quibus quanto furore impellantur Ecclesiæ inimici conspicuum esse potest, quippe qui eam affligentes profligare se posse dum sperant, contrà tamen eam magis ædificant & stabiliunt. Qua in re, præter suam tamen opinionem, peritum olitorem imitantur, qui herbas sæpius tondet vt conseruentur & augeant: vel quempiam alium syluam suam sæ-

Denique
miracu-
losa Ec-
clesiæ cõ-
seruatio
in medio
hostium
ipsius

pius cædentem, vt magis virescat, & ab interitu præseruetur.

Quibus
adde læ-
titiā &
& pacem
qua in
mediis
turbis &
morte i-
psa frui-
tur.

Ad quæ omnia istud etiam accedit, admiratione dignissimum, quo semper homines in admirationem diuinorum operum & prouidentię magis ac magis discant assurgere, Ecclesiam Dei maximè feruente aduersus eam inimicorum furore & in medio bellorum ardore, per Dei gratiam semper frui pace & lætitiā in conscientia, qua sic fulcitur & sustentatur, vt nunquam deiici statũve suo dimoueri possit: sed potiùs præsentiore & erectiore animo sit quàm ipsius hostes, qui multum satagunt, anxij sunt & variis difficultatibus distorquentur, cum ingenti tumultu in vnũ coeunt, sæpe contrarium suorum consiliorum effectum quàm ipsi conceperint parituri. Sic Dauid loquitur Psalm. 92. sui & suorum hostium mentionem faciens:

*At tu Deus non mobili
Sublimis arce permanes:
Dum quisquis odit te, Deus,
Te quisquis odit, interit.
Ego peribunt improbi:
Virente at ego oleo caput
Perunctus istud arduum,
Ceu vnicornis, efferam.
His ipse ocellis hostium
Et vi & dolis vrentium
Videbo, & istis audiam
Tristes ruinas auribus.*

Et Psalmo 112. de omnibus in genere fidelibus loquens,

loquens, ait,

Pascit libens hic pauperes,

Hoc gloriosus nomine

Cunctis futuris seculis

Virtutibusque nobilis.

Et Psalm. 148. ubi etiam de Sanctis in genere Propheta loquitur,

Complet cuncta sui nomine numinis,

Et firmo Isacidas robore roborat.

Superest iis respōdeamus qui apertè Dei providentiam accusant & subsannant: immò etiam aduersus eū frendēt, & propter calamitates varias quas mūdo immittit obmurmurant: dicuntque, si summum ipse bonum est, nihil ab eo nisi bonum proficisci debere: mundum verò tot miseriis exercere, naturam potiùs crudelis & inhumani tyranni, quàm boni Regis respere. Quem ut apud homines magis magisque traducant & in invidiā rapiant, has miscrias & calamitates quantū possunt amplificāt.

Vnde, inquit, tot morbi, tot steriles anni, tot bella, tot lites, tot rixæ & cōtentiones, tot parricidia, & infanticidia, tot veneficia, tot cædes, tot latrocinia, tot proditiones, tot simulacrae oppressiones, iniustitiæ, tot ruina, incendia & vastationes? Vnde tot urbium direptiones, violationes, tanta sceleratorum proteruia, qua boni facultatibus spoliatur, exilio, proscriptionibus, carceribus, cædibus, incendiis, submersionibus exponuntur, eorūque sanguis velut aqua temerè fluens effunditur?

Vnde etiam contigit ut magnæ & opulentæ

Obie-
ctiones
& obtre-
ctationes
aduersus
Dei pro-
videntiā.

Malorū
et in mū-
do dilu-
uium.

Scelerati
rebus se-
cundis ef-
feruntur,
dum pii
aduersis
deiciū-
tur.

Quod
Dei natu-
ræ & pro-
videntiæ
repugna-
re vide-
tur.

vrbes, tot sudoribus ac laboribus fundatæ, auctæ & ditatæ, tot viris ingenij tanta vi præditis exultat, tam breui temporis spatio tantam patiantur ruinam, vt solo adæquatæ iaceant? vnde factum est vt Regna & maximæ quæque Respublicæ sint ab ipsis fundamentis conuulsæ, aded vt nulla prorsus hodie extent illarum vestigia? Vnde tandem accidit vt tam multæ præclaræ & celebres Ecclesiæ, quarum ipse Christus & Apostoli fundamenta iecerant, factæ sint Antichristi sedes & thronus? Vnde, inquit, tanta calamitatum & arumnarum leges?

Præfatio
ad respō
sionē ad
superio
rem ob
iectiōnē.

Quibus prius quàm respōdeam, vehementer eos rogatos velim ne Dei donis tam proteruē abutantur, sed eloquentiam & facundiam suam potius exerant in prædicanda & celebranda bonitate, potentia, misericordia Dei & infinitis aliis eius virtutibus, eorum memores quæ Propheta canit Psalm. 37.

Labris bonorum confidens sapientia

Hinc iusta promittit omnia.

Et corde in alto fixa lex Dei sacra,

Firmos regit eorum gradus.

Respon
sio ad su
periorē
obiectiō
nem, id
est, Deus
nihil nisi
iustē fa
cit.

Maior enim apparet in laudādo quàm in vituperādo charitas: præsertim quū de Dei operibus agitur, quæ omnia laude sunt dignissima, & vituperari nisi à maligna mente nō possunt. Vt autem istis operum Dei & sapientiæ diuinæ contemptoribus respondeam, primū aio Dei opera omnia in veritate & iustitia esse constructa, & cum Dauide concludo Psalm. III.

Sic

*Sic rigidus patuit Iudex, fidelique tenacem
Ubique sese præbuit.*

*Æternum si quidē rata, firma, & iusta manere
Quæcunque sancivit, decet.*

Ecquis verò rem iustè & cum ratione factam Deinde,
ausit reprehendere? Deinde considerandū est lenitate
nullas vnquam in mundum à Deo calamitates tempera
immiti, quin eas consolationes plurimæ co- tur eius
mitentur, vt David Psal. 30. dicit, iustitia.

Nanque eius ira vel momento præterit,

At eius usque permanet benignitas

Sera in nepotum secula.

Si noctis umbra fortè mæstos texerit,

Sol lucis almae rursus efferens iubar,

Mutat dolores gaudiis.

Quum igitur Dei beneficentia miseras no-
stras suis semper beneficiis temperet, annon
summè ingratorum est tam diligenter aduersa
quæuis obseruare, & innumera Dei beneficia
quibus illa mitigat, obliuioni tradere?

Præterea si quam iacturā patimur siue facul- Tertio.
tatum, vxorum, liberorum & amicorum, siue Peccato-
etiam famæ, aut vite, annon decet nos vicissim rum no-
lapsus nostros considerare, quibus Deum stro-
uocantes, illas pœnas & longè maiores illis in strum
nos attrahimus, atque ita nostras rationes in magni-
struere, vt in iis acceptum & expensum fera- do longè
mus? Annon præterea magno nostro commo- graui-
do, calamitates nobis cōtingunt, quandoqui- res pœ-
dem peccatorum nostrorum nos admonent, nas mere-
& in illis iram Dei cōtemplati, ea confitemur, turquā
& coram eius facie submittimur, tandēque in hoc
est no-

his casti-feriam agentes pœnitentiã, gratiam eius pro-
gationi- uocamus, qua nobis omnia ex sola misericor-
bus ad dia condonat, & nos vicissim eius glorificandi
pœniten- propter eximiũ eius in nos fauorẽ & singulã
tiam & propter eximiũ eius in nos fauorẽ & singulã
peccato- misericordiã, occasionem maiorem habemus?
rũ agni- Ex quibus animaduertimus, calamitates, si æ-
tionẽ in- quo eas animo tolerauerimus, in Dei gloriam
uitari, & nostram salutem redundare.

vt remis- Sed præterea, nonne Deum, qui omnia (vt
sionẽ eo ait Solom. Prouerb. 16.) propter seipsum con-
rum con- didit, agnosci & glorificari in omnibus suis o-
sequa- peribus oportet? & gloriæ eius materia nonne
mur. hæc est, vt eius iustitia in peccatorum nostro-
Quartò, rum punitione fiat manifesta, vt ex ea magis ac
Deum a nobis in
magis eum timere & coram illo deiici disca-
omnibus mus, quemadmodum ex eius misericordia, qua
eius ope- lapsus nostros nobis condonat, ad eius amo-
ribus o- rem & cultum allicimur?
portet ce
lebrari.

Quintò, Age verò, ecqua re magis opus habemus,
Ex cala- quàm vt nos & natiuam corruptionem probè
mitati- cognoscamus? Quod ex qua re melius quàm
bus nos ex calamitatibus quæ sunt illius effecta & fru-
ipso- ctus didicerimus? Quod ipsum etiam David
nosse in
cipimus, Psal. 30. confitetur, his verbis,
vt Deo
subiicia
mur.

*Securus ibam sortis immemor meæ,
Et, arce fretus munere extracta tuo,
Cuncta mihi certa pollicens,
Quum me repente deseri abs te sentiens,
Mente pauescens ad te recurri, mi Deus,
Istasque profudi preces:
Vt iam sepulcro condar, ecquid commodi
Hinc auferes? nunquid cadaver putridum*

Fidei

Fidei tenacem te canet?

Et in hunc ipsum sensum propheta Psalm. 119.
dicit. oct. 9.

*Ipse equidem errabam nil olim expertus acer-
Ferula eruditus nunc tua.* (bum,

Et paulò post,

*O mihi sub ferula exactos feliciter annos,
Qua reddidit docilem tibi.*

Et octon. 10.

*Quippe iam reipsa didici, severe
Afflixeris me quamlibet,
Iure sic abs te fieri, immo pactam
Sic te fidem persolvere.*

Deniq; nihil aptius & accommodatius est mor-
tificandis mèbris nostris, quæ sunt super terrâ,
nempe scortationi, impuritati, mollitiei, cupi-
ditati prauæ, & auaritiæ quæ est idololatria, ob
quæ venit ira Dei in filios contumaces, quàm
calamitates, afflictiones & ærumnæ tam cor-
poris quàm animi, quibus quotidie exerce-
mur. Nihil etiam commodius ad corda nostra
& afflictiones à rebus terrenis, ad donorum
cœlestium & spiritualium seriam meditatio-
nem, quàm illud ipsum, euehendas. Et quem-
admodum ab lactari solent infantes, si mam-
mæ matrum re amara quapiam oblinantur:
ita Deus mundi huius delicias rebus amaris
& acribus miscet, vt earum gustum nobis
adimat, & vitæ nobis æternæ gustum iniiciat,
vt ad eam aspiremus, & ad earum volupta-
rum fruitionem, quas nulla sit vnquam exce-
ptura pœnitentia: & quæ nostris explendis &

Sextò.
Dei casti-
gationes
prauas
nostras
cupidita-
tes mor-
tificant,
& ad vitæ
melioris
medita-
tionem
nos eri-
gunt.

saturandis desiderijs sufficiunt, vt ait Dauid
Psalm.36.

*Inter at ista tuas quanta est, Deus optime, lau-
Fœda quòd oblitus satos propagine (des,
Mortales, velut alarum sub tegmine fœtus
Ales tenellos, sic tueris & foues:
Delicijsq; tuis saturos, dimittis ad amnes
Pleno vbi voluptas pura manat alueo.*

Et Psalmo 31.

*Vah, tua quæ seruata pijs sunt premia! quantis
Tui timentes in bonis dignabere!
Illos nempe tuis tutos penetralibus abdis,
Tuo resurgent quæ corusca lumine.*

Et Psalmo 16.

*Quin vita potius viam perennis
Te duce ingrediar, beatitate
Vt felix potiar fruârque plena,
Quam vultu placidus serenior
Benignâque tuis manu refundis.*

Septimò.
Fideles
Deum in
afflictio-
nibus ce-
lebrant,
teste Io-
bo & Da-
uide.

Et sanè si gnauì essemus & industrij œconomi,
nunquam de calamitatibus quereremur, sed
Iobum potius imitaremur, Deum non minùs
in aduersis quàm in secundis rebus laudantem
& benedicentem, vtpote qui & has & illas sibi
salutares esse sciret: & Dauidem, qui Psalm.39.
de re quadam verba faciens, quæ plurimùm af-
fligebatur, sic ait,

*En conticesco, en quæ merenti verbera
Infligis, vltro perfero.*

*Heu vulneratum, heu iam seuera sub manu
Me collabantem respice.*

Si ad horum duorum tantorum tamque insi-
gnium

gnium Prophetarum exemplar, in nostris calamitatibus ad primam earum causam assurgeremus, eamque attentis animis consideraremus, Deum nimirum Patrem nostrum, à quo vnicè diligimur, nã, patres illos imitati, laudaremus eum etiam in aduersis; & gratias ei, non secus quàm in secundis ageremus. Sed quòd in afflictionibus nostris angimur, & in quo animo ferimus, inde fit, quòd eas ad Dei prouidentiam à qua nobis in summum bonum nostrum immittuntur, minimè referimus: & in causis secundis haremus, quæ tamen nihil nisi instrumenta sunt quibus Deus nobis exercendis utitur.

Adde causam alteram tantę nostrę anxietatis in afflictionibus, quòd nec scimus nec consideramus finem in quem nobis illæ diuinitus immittuntur. Nec enim Deus nobis ita indulget vt velit nos in voluptatibus delicias nobis facere: sed potiùs sopitos excitat, & ad vigilantiam & laborem stimulat, ne nos saginatos contingat inutiles reddi, vel etiam aduersus Dominũ calcitrare. Quod nostro seculo, Monachis, Canonicis, & toti Papistico Clero cõtigisse videmus, qui quoniam delicias sibi fecerant, infatuati sunt, sicuti sal, ad nihil amplius valentes quàm vt foras abiiciantur & cõculcentur à quibusuis.

Vt igitur in officio nostro retineamur quod Deo debemus, & ne nos contingat illius obliuisci, necesse est nos ab illo sub seuera disciplina & veluti magistri ferula contineri. Nam a-

Denique
necessa-
riæ sunt
afflictio-
nes.

Ne res-
bus pro-
speris
præcipi-
tes fera-
mur in
nostram
ruinam
& exitiũ.
Matth. 5.

Vt in of-
ficio reti-
neamur
ne cum
mundo pe-
reamus.

Q. j.

loquin statim à mundo deprauaremur, & cū illo petulanter aduersus Deum lasciuientes in iudicium extremum veniremus, vt docet Apost. i. Cor. ii. Quum iudicamur, inquit, à Domino, erudimur, ne cum mundo condemnemur.

Vt in **Dei ti-**
more e-
rudia-
mur.
Isa. 26.

Isaias sententiam protulit quam opera pretium est diligenter à nobis notari, & memoriae infigi, nempe homines, Iustitiam discere, quum Dei iudicia in terris cōspiciuntur: quod etiam experientia ipsa confirmat. Nam cōspicimus eos belli, famis, pestilentiae, malorum denique aliorum tempore, prima luce surgere, vt ait Propheta, vt Deum requirant, & se ad eum conuertant, illi supplicātes & veniam deprecantes. Tum etiam videmus eos diligentiores in sacris cōtibus frequentandis, & in verbo Dei maiore attentione auscultando & maiore cum timore & deuotione suscipiendo: in exhortationibus recipiēdis humiliores, in ieiuniis, omnibus denique aliis exercitiis fidei & pœnitentiae frequentiores: Contrā verò pacis tempore, officij sui prorsus immemores, Dei cultum rebus aliis omnibus postponere conspiciamus.

Conclu-
sio re-
sponso-
nis ad i.
obicctio-
nem.

Denique, vt ferrum faciliè consumitur aru-gine, nisi crebrò sit in vsu: sic etiam virtus non exercita torpescit. Quapropter non sunt calamitates tanto cum horrore fugiendae, quanto tamen solemus, quum ea efficiant nos in armatura nostra expolienda diligentiores & in promptu exertam eam semper habere nos do-

ceant, fidem, inquam, patientiam & preces, quibus cum hostibus congressi, superiores euadamus. Demus tantum operam ut iis utamur commodè, medicos & chirurgos hac in parte imitati, qui herbas & pharmaca per se noxia & yenenata tanta arte & industria præparant & miscent, ut salutaria efficiant. Idem ergo in omnibus præstemus calamitatibus.

Multi sunt præterea, qui quum ex sui sensus iudicio multa in mundo fieri inordinatè & confusè putent, inde oblatum sibi satis idoneum argumentum putant obloquendi, & de providentia & sapientia Dei æterna derectandi. En, inquiunt, vitiis regnantibus & veluti terram inundantibus, virtus neglecta iacet: sapientes viri flocci fiunt, stulti in aulis & in ædibus magnorum Principum in magno pretio sunt. Thesauri & publicæ pecuniæ in coru- uos, putà adulatores, histriones, ludiones, & fœdarum obscenarumque Principum volu- luptatū ministros exhauriuntur: interea dum viri fortes & virtutis amantes rerum omnium egeni ægrè vitam trahunt. Facinorosi florent, & rebus omnibus abundantes delicias sibi faciunt: boni verò cum omnium malorum carterua colluctantur. Cernimus præterea, inquiunt isti, opinioni & consuetudini plus auctoritatis deferri quàm veritati: tenebras luci præferri, & scientiæ ignorantiam, veræ Religionis falsam & erroneam præponi. Deum præterea, quod malorum omnium extremum est, longè minoris quàm idola & simulachra

Altera obiectio
Vitiū regnat, at virtus neglecta iacet. Quod diuinæ providentiæ & potentiæ videtur ex diametro repugnare.

Q. ij.

Esa. 59.

haberi, & sola specie, & ritibus externis coli & placari. Nebulones & nihili homines ad rerum gubernacula euehi: viros verò fortes & magnanimos contemni. Fœminas nō tantum maritis, sed etiam magnis regnis imperare. Caudam (vt veteri fertur apologo) cæcam licet, & sine oculis, aduersus caput de regendo & per vices ducendo corpore contendere. Omnia denique sus deque ferri, & sic misceri, vt quid album atrumve sit non dignoscatur. In Isaia Prophetæ tempora nos incidisse, quibus sui seculi homines sic compellabat: Fremimus sicut vrsi quotquot sumus, & velut columbæ continenter gemimus, exspectamus ius, sed nulum adest, salutem, sed procul abest à nobis. Nam multiplicatæ sunt defectiones nostræ coram te, & peccatorum nostrorum quodque testatur contra nos: defectiones enim nostræ sunt penes nos, & iniquitates nostræ: agnoscimus ista: Nempe nos deficere, & auertere nos à sequendo Deo nostro, loqui oppressionem & apostasiam, concipere & meditari ex animo verba falsa. Sic auersum est retrorsum ius, & iustitia è longinquo consistit, quia corrui in platea veritas, & æquitas non potest incedere. Imò est ipsa veritas sublata, & qui recedit à malo, facit vt insanus habeatur: quod videt Iehoua, & malum videtur in oculis eius, nulum esse ius. Quum itaque vidit nullum esse virum, & obstupuit nullum esse interuentorem, salutem attulit ei brachium ipsius, & iustitia ipsius: hæc fulciuit eum. Multi sunt, inquam,

quam, qui tantam in rebus confusionem animaduertentes, magnopere animo perturbantur, & mira sibi somnia fingunt, sibi persuadentes mundum non regi nec gubernari ab ulla superiore potestate: sed omnia casu fortuito ferri.

Aduersus quorum opinionem, quæ ex diametro veræ adorationi & cultui quem Deo debemus repugnat, necesse est nos instrui, & Scripturæ locos quibus illa refellitur in promptu habere, & memoriæ nostræ insingere. In quibus quidam sunt insignes, putà Psalm. 8.

*Vt decoriste tuus cæli super alta coruscat
Culina! Quin etiam qui matrum ex ubere
pendent*

*Elingues pueri, (dictu mirabile) vires
Immensas, numenque tuum muto ore fatentur.
Vt taceat victus, quantavis concitus ira,
Quantuscunque cui vesanus numinis hostis.*

Et Psalm. 33.

*Hoc lyra, hoc pictis citharis sonare,
Hoc poetarum melos erudita
Turba cantato, quod & ipsa longè
Sydera pulset.*

*Huius est rectum imperium, huius omne
Est opus firmum: ordine cuncta iusto
Hic gerit: rota est bonitatis huius
Conscia tellus.*

Et Psalmo 36.

*Quin tua summe Deus bonitas micet aethere toto
Fidesque superet nubilorum vertices.*

Q. iij.

Resp. I.
Hanc ob
iectionē
ex dia-
metro
Dei ho-
nori re-
pugnare,
quæ infi-
nitē iu-
stū, sapi-
tē & bo-
nū agno-
scere de-
bemus,
vt ex se-
quētib;
exēplis
cogno-
scitur.

*Et qua Cunctipotēs hominesq; ferasq; gubernas,
 Vis equitate temperata plurima,
 Quoslibet excelsos trāscendat culmine montes,
 Maris eadem profundior voragine,
 Inter at ista tuas quāta est, Deus optime, laudes,
 Fæda quòd obliuſ ſatos propagine,
 Mortales, velut alarum ſub tegmine ſœtus
 Ales tenellos, ſic tueris & foues.*

Et Pfalm. 92.

*Quā magna ſunt enim Deus
 Potente qua geris manu!
 Quā ſunt profunda & abdita
 Quæcunque mente cogitas.
 Et hæc tamen ſtultos latent,
 Nec nota ſunt amentibus,
 Virentis inſtar graminis
 Dum turba creſcit impia.*

Et Pfalm. 104.

*O qua vis fuit illa, qua poteſtas,
 Qua prudentia multiplex, creandis
 Tot rebus ſimul, & ſimul regendis!
 Nam quacunque patet globosa tellus,
 Vis quoque imperij tui pateſcit.*

Et Pfalm. 145.

*Te mare & tellus, radiāſque cœlum,
 Quæq; ſunt toto fabrefacta mundo,
 Te colunt patrem, dominūque ſolum
 Cuncta fatentur.
 Sed tui in primis, Bone, quos beaſti,
 Hi tui demum decus omne regni,
 Hi tuas vires merito celebrant
 Landis honore.*

Quid

Quid nobis igitur negotium facessunt turba-
tores isti Libertini, quos non pudet tanta cum
arrogantia & fastu Dei nostri sapientiae & ope-
ribus obgannire? An non istiusmodi homini-
bus licet idem dicere quod olim dicebat Apo-
stolus, O homo tu quis es qui ex aduerso re-
spondas Deo? Num dicet figmentum fictori,
Cur me tale fecisti? Annon habet potestatem
figulus in lutū, vt ex eadem massa faciat aliud
quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus?

2. Hæc
obiectio
Dei sa-
pientiam
repre-
hendit.

Rom. 9.

Hic igitur locum habere Thucydidis egre-
gium & sapientissimum dictum videmus, Vi-
rum sapientem semper esse parcum in sermo-
ne: contrā verò stultos, audaces & temerarios
in omnibus suis sermonibus. Absit verò vt il-
los imitemur. Sed nos Dei iudiciis submitta-
mus potius & ea adoremus, quàm ea ex sen-
suum nostrorū imbecillitate & tenuitate me-
tiri, & tantam abyssum deficientibus nos vtri-
bus scrutari cogitemus. Age igitur, ne quid
hac in re peccemus, Dei sapientiae abyssum cum
Apostolo admirati, exclamemus, O profundas
diuitias tum sapientiae tum cognitionis Dei!
quàm inscrutabilia sunt eius iudicia, & eius vię
imperuestigabiles. Quis enim cognouit men-
tem Domini? aut quis ei fuit à consilio? aut
quis prior dedit ei, & reddetur ei? Nam ex eo,
& per eum, & in ipsum sunt omnia. Ipsi sit glo-
ria in secula. Amen.

Rom. 11.

Non aliunde porro profisciscuntur istius-
modi hominum impiae & blasphemae voces
aduersus diuinam prouidentiam, quàm ex per-

3. A iudi-
cio de-
prauatis-
simo pro-
ficiscit-
tur.

Q. iij.

id



turbatis & inordinatis eorum affectionibus, quibus ipsorum iudicium corrumpitur. Nam quum Deum vident cupiditatibus ipsorum non annuere, immò etiam saepe aduersari, tum indignantur & stomachantur instar puerorum quibus postulata denegantur: & ita in Dei prouidentiam blasphemii seipsos vlciscuntur: quasi verò Deus ipsorum sit similis, vt ad eorum preces voluptatibus ipsorum indulgeat.

Libertini sunt
malis, liti-
gatori-
bus simi-
les.

Aegrotis im-
patiètib.
Indiscre-
tis loqua-
cibus.

Eos igitur imitantur qui quum causa sua ceciderunt, Iudicem tanquam iniquè iudicari accusant, quòd ex ipsorum sensu nò pronuntiarit sententiam, etsi causam iniustam agerent: Aut etiam aegrotos, qui sumptò pharmaco, & doloribus cruciati, medicum accusant, & in eum dolorum suorum causam reiciunt.

Fertur, Apellem, eximium illum pictorem, quum aliquando iuuenis quidam eius officinam ingressus initidè se ita composuisset vt tacitus pictas in ea tabulas attentè considerans admirari artificium videretur, cœpisse cogitare de illo, virum acris esse ingenij, quod quum iuuenis animaduerneret arrogantiorem factum animos sumpsisse, atque ita, vt quam de eo conceperat Apelles opinionem acuminis ingenij, magis ac magis augeret, multa in pictissillis tabulis carpisse & damnasse: tunc Apellè, sic hominè cōpellasse, Amice quā diu siluisti, nemo nò magnam de te scientiæ conceperat opinionè, sed vbi ausus es obloqui, nemo non animaduertit tuam ignorantiam & ineptiam. Sic Libertinos & Epicureos istos longè magis dece-

Libertinorum
emblem-
ma.

deceret cum silentio Dei opera contemplan-
tes, suspicere, quàm illis detrahere. Nam hac
ratione nō modò sibi stupiditatis & ignoran-
tiæ sed malitiæ & atheismi notam inurunt.

Narratur etiã de Philippo Macedonum Re-
ge, quū aliquando canentem Musicum audi-
ret, vt artis Musices peritus videretur, aliquid
in harmonia, quasi cōcentus inæquales essent,
carpsisse: atque cantorem quum Regem co-
gnosceret Musices ignarū & alioquin esset in
loquendo audacior & liberior, non sine gratia
sic Regem affatum esse: Dij, inquit, Rex, pro-
hibeant ne tantum in hac arte temporis insum-
as quantum ego insumpsi. Sic etiam istos sapi-
etiæ diuinæ & operum eius Momos & Zoi-
los, id est, liuidos obrectatores exsibilare o-
portet, Vósne, inquam, artificem opus suum
docebitis? Sic Deus ipse de se apud Esaiam lo-
quitur, An ego aperirem os matricis, & non
gignerem? ait Iehoua: An ego qui gigno, am-
plius occluderem? ait Deus tuus. Dauid etiam
grauissimè in istos inuehitur prouidentia Dei
obrectatores, qui ab eo omnia nostra opera
cognosci & regi negant. his verbis,

Hi sunt scelesti qui tuum istis vocibus

Numen lacessunt impij.

Iste, inquietes, nil videt Deus, nihil

Deus hic Iacobi intelligit.

Audite verò vos, ô insanissimi,

Quis finis erit amentia?

Nihil audit aurium artifex? qui lumina

Creauit ipsa, nil videt?

Lis qui de
re ignota
suam sen-
tentiam
ferre vo-
lunt.

Alterum
Emble-
ma.

Esa. 66.

Acris Da-
uidis in
Liberti-
nos inue-
ctio.

Psal. 94.

*Pollente populos tot coercens dextera,
 Vos ille non redarguet?
 Scientiam qui ceteros vnus docet,
 Quicquam hunc latebit inscium?
 Immo vnus iste vota nouit irrita,
 Vanasque spes mortalium.
 At ô beatum scita legis quem tuæ
 Deus magister edoces!
 Vt atra dum procella cælitus ruens
 Cælum solūque concutit,
 Perstet quietus, dum quod impios voret
 Patens sepulchrum foditur.*

Obie-
 ctio ter-
 tia. In
 Dei ope-
 ribus sum-
 ma con-
 tradictio
 & repu-
 gnantia
 esse vide-
 tur.

Verum enimverò hac vna re plurimū isti of-
 fenduntur, nempe, repugnātia & contrarieta-
 te quæ in diuinis operibus esse videtur. Modò
 enim (inquiunt isti) bellum ingruit, modò pax:
 nonnūquam summa vbertas rerum omnium,
 nonnunquam sterilitas & inopia: sæpe magnæ
 pestilētiæ, sæpe magna aëris salubritas & tem-
 peries: sæpe multi cælum vertice contingunt,
 qui postea deprimuntur & deiiciuntur: sæpe
 magnis æstibus & siccitatibus agri torrentur:
 sæpe diluviis, aquarum inundationibus & tor-
 rentibus terræ desolantur, Multa castella &
 superba ædificia ruinam patiuntur, & parie-
 tinæ fiunt, mustellarum, noctuarum, vesperti-
 lionum & istiusmodi infaustorum animalium
 tantum nidulationibus aptæ. Magnæ quon-
 dam & celebres vrbes, in villas & mapalia de-
 generarunt. Regio sanguine orti in Anglia,
 tandem (vt ait Philippus de Commynes) ad
 tantam inopiam redacti sunt vt in Ducis Bur-
 gundi aula serui à pedibus fuerint. Ferunt e-

tiam Dionysium secundum, Sicilię tyrannum,
à Timoleone fugatum erepta illi tyrannide,
Corintheta coactum ostiatim victum emen-
dicare ad tympani & fistulę sonum cāntiun-
culas modulantem.

Tam inopinatis mutationibus vehementer
isti perturbantur, nec fieri posse putant vt ab
ingenio constanti & propositi tenaci proue-
niant. Sed vehementer falluntur: sunt enim
istiusmodi mutationes ad mundi conserva-
tionem omnino necessaria. Quod ipsa nos ex-
perientia docet. Nisi enim temporum esset a-
liqua vicissitudo, sed eadem semper æquabi-
litas, age, dic obsecro, quomodo plantarum &
arborum semina cōciperentur & nutrentur,
germinarēt, crescerēt & tādē maturescerēt?

Quinam præterea tot animalia quę omnis
generis vel terra, vel aqua, vel aēr nutrit atque
fouet, sine illa temporum varietate subsisterēt?
Quomodo item Elementa, quę mundi sunt
veluti fundamenta & columnę, si vna eadē-
que esset omnibus qualitas, suas operationes
perficerent, quomodo ad eas perficiendas Actio &
Passio prorsus requirantur? Nisi etiā in huma-
nis corporibus essent humores qualitibus
differentes pro elementorum ex quibus con-
stant ratione, quomodo illa viuerent & con-
seruarentur?

Fatendum igitur est, mutationes & vicissitu-
dines ad mundi conservationem esse necessa-
rias: & præterea vt homini satisfiat quę vnus
tantum rei statim satietas & fastidiū capit: vn-
de fit vt ferē semper rerū nouarum sit cupidus.

Respon-
sio.

Istiusmo-
di varie-
tates &
vicissi-
tudines
necessa-
rię sunt
ad mun-
di cōser-
uationē:
ipso tē-
pore &
eius tem-
pestati-
bus testi-
bus.

Animali-
bus.
Elemen-
tis.

Humo-
ribus cor-
poris dif-
ferenti-
bus.

Varieta-
te sono-
rum ta-
ctuum,
odorum
& sapo-
rum.

Sonorum varietas in Musica delectat aures,
& colorum diuersitas oculos, nares odorum
varietas, palatum denique saporum diuersitas,
tactum denique calidi & frigidi, mollis & duri
varietas afficit. Ex quibus argumentis satis ap-
paret rerum vicissitudines & contrarietates
quas in mundo quotidie contingere videmus,
esse admodum vtilis & necessarias, sed esse vi-
ri sapientis eas ad suos fines referre. Plura no-
bis licuisset istarum vicissitudinum exempla
proponere, sed tractatus istius breuitas ea plu-
ribus persequi prohibet.

Quarta
obiectio
ex ea cō-
fusione
quā pec-
catum in
mūdum
attulit.
cuius cō-
fusionis
quā Deus
non sit
autor eā
etiā to-
lerare nō
debere
videtur.

At dicet aliquis, Annon peccatum, & quæ
illud consequuntur, cōfusionem & perturba-
tionem adferunt in rerum natura, quum ex
diametro Dei voluntati repugnent ad quam
vnicam amissim quicquid ordinatè sit exigi o-
porteret? Annon præterea bella, & infinitæ cala-
mitates inde scaturientes, res sunt inordinatæ:
quibus mundi totius veluti conspurcatur pul-
chritudo: quem si Deus administraret, tanta æ-
quabilitate in omnibus eius partibus & moti-
bus regi oporteret, vt singula ad amissim Dei
voluntati responderent: à qua tamen quan-
tum absunt tot scelera quibus quotidie mun-
dus polluitur, quæ coram Deo sunt abominan-
da, vt David Psal. 5. fideles docet:

O tu hostis omnis perpetuus mali,

O nulla quicumq; fœdera sunt malis.

In sana vultus ante tuos cohors

Vanescit omnis. Tu scelus impotens

Pefferre, cuncta perfidia & doli,

Fusi-

Fusique vindex, ô bone, sanguinis.

His vt respondeam, aio, quod ad peccatum at-
tinet, Deum quidem eius auctorem nullo mo-
do dici posse: à quo natura eius quæ tota est iu-
stitia & æquitas, prorsus abhorret: subiecti ve-
rò & motus in quo peccatum residet, esse au-
thorem. Quod facile potest hominis claudicā-
tem equum agitantis exemplo demonstrari,
cui si calcaria subdiderit, ad cursum quidem,
sed non ad claudicationem impellet. Qua in
re non obscura est differentia inter motum
& illius defectum: Motus enim est ab homine
equum agitante & calcar subdente, sed clau-
dicatio & motus obliquitas est in equo. Sic e-
tiam anima in hominis corpore residens pri-
ma quidem & præcipua causa est motuū cor-
poris & reliquarum eius partium, sed si qua ea-
rum læsa fuerit cuius motus sit obliquior, nã
ille defectus nõ ab anima, sed à parte læsa pro-
ficiscitur. Sic etiam, si peritus Musicus, testudi-
nem manu pulset, in qua chordarum aliqua nõ
respondeat ad tactum, sed harmoniam sono-
rum perturbet, causa confusæ harmoniæ non
in musico, sed in chorda non respõdenti ad ta-
ctum quærenda est. Terra similiter quum plu-
uiis irrigata fuerit, omnes arbores & plantas
quas sine discrimine producit, tum bonas tum
malas nutrit & fouet: & vt folia, flores & fru-
ctus singulæ proferant efficit: quarum siquæ
fructus malos ediderint, nã non terræ singu-
las illas arboresnutrienti sed arbori à qua pro-
ducuntur vitiositati quicquid inest in fructi-

Respon-
sio. Deu
peccati
authorẽ
non esse,
sed pec-
catori-
bus vri
ad exe-
quenda
sua iudi-
cia.
Similitu-
dine illu-
stratur.

Alia si-
militu-
do.

Alia itẽ

bus vitij acceptum ferendum est.

In actio-
nibus hu-
manis di-
stinguen-
da sunt
quæ à
Deo &
quæ ab
homini-
bus fiūt.
Exem-
plum.

Cur
Deus i-
stiusmo-
di cōfu-
siones
permit-
tat.

Nempe
in bonū
finem.
Vt pecca-
ta pecca-
tis aliis
punian-
tur.

Quibus concessis, non admodum est diffi-
le in hominum actionibus quid à Deo, & quid
ab hominibus proficiscatur discernere. Nam
exempli gratia, Sicarius qui hominē parat in-
terficere, & ad cædem faciendā gladium edu-
cit, id non facit sine suæ voluntatis motu, vult
enim hominem cædere: nec etiam sine brachij
sui vi ac motu, nam brachio gladium vagina
extrahit. Porro motus ille voluntatis, & morus
& vis illa brachij sunt à Deo: at defectus qui
sunt in illis motibus, quos obliquos esse per-
spiciū est, ex eo quòd à Dei voluntate, & man-
dato illo, Non occides, recedunt, à Deo non
sunt, sed ab hominis, boni Dei rebus creatis ab
utentis, corruptione & peruersitate. Siquis
excipiat, Deum interea istud homicidium per-
mittere, ac proinde etiam velle permittere: nā
quum Dei voluntas sit liberrima, nulla vi co-
gi potest ad aliquid vel faciendū vel permittē-
dum: fateor: atque etiā Deum, cædem illā per-
mittentem, quodammodo velle fieri: sed aio
Dei permittentis respectu cædis illius bonum
esse finem, siue sit nobis ille notus, siue etiā in-
cognitus. Veluti si qui cæsus est, vel blasphemus
erat, vel fidelium carnifex, vel Ecclesiæ ho-
stis & persecutor, vel publice quietis pertur-
bator, quis in his calibus merito Dei providen-
tiam istum sceleraŕū ad pœnā hac ratione vo-
cantis incuset? Etsi tamē propterea homicidij
author noxæ nō eximatur quòd Dei præcepta
violarit, & ad cædem illam faciendā vel vindi-
ctæ cupiditate sit impulsus, vel prauum quem-

piam alium finem sibi proposuerit.

Alij dicunt, multa casu & fortuitò fieri: quibus sic respòsum esto: hominum respectu quibus saepe euentuū causæ sunt incognitæ, & qui eas in suis deliberationibus sibi minimè proponunt, multa fieri fortuitò & cōtingēter. Dei verò respectu, fortuitū nihil dici posse, sed quæ cūque cōtingunt necessariò fieri: nam si secus esset, aut fatendū foret sapientiā eius infinitam nō esse, quòd euentura nō præviderit, aut finitam potentiā, quæ euentum prævissum impedire nōn potuerit. Qua in re duplici ratione in Deum blasphemari essemus, nimirum eius tum sapientiam tum potentiam abnegantes.

Exemplis igitur, agetum ista comprobemus. Ac primum insigne est serui illius Abrahami exemplum, qui iussus ab hero in patriam suam proficisci, & Isaaco filio suo vxorē inde adducere, quòd noller eum Chananæorum filiabus matrimonio copulari. Quòd tam prosperè illi omnia in itinere succedūt, quòd tam feliciter in ædes Bathuelis, Rebecca patris aduenit, & negotiū conficit, annon illa sunt diuinæ potiùs prouidētiae, sic omnia disponētis vt suum finem consequerētur, quàm vlli fortuito casui tribuenda? Hoc ipsum sanè Labanus & Bathuel agnouerūt, qui seruo Abrahami Rebecca hero suo deducendā postulāti respòderūt, his verbis, A Iehoua profecta est hæc res: nō possumus eloqui tibi malū aut bonū. Ecce Rebecca tibi exposita est, accipe & abi, vt sit vxor filio Domini tui, quemadmodum loquutus est Iehoua.

Quinta
obiectio
de casibus
fortuitis.
Respon-
sio, Deo
nihil for-
tuitum.

Exem-
pla qui-
bus illud
confir-
matur.
Abrahami
ser-
uus.
Gen. 24.

Abrahamus.
Gen. 22.

Quum Abrahamus vnigeniti filij sui quē in holocaustum Deo paratus erat offerre cēuicibus imminens, vocem Angeli Iehouē in-clamantem è cælo, audiuiſſet, Abrahamē, Abrahamē, ne extēdas manum tuam in puerum hunc, nec facias ei quicquam: nunc enim ti-mentem Dei eſſe te ſum expertus: quum non ſubtraxeris filium tuum, vnicum tuum, à me: Et Abrahamus ſublatis oculis conuerſus vi-diſſet arietē, qui cornibus ſuis detinebatur in perplexitate veprium, eūque acceptum in holocaustum loco filij ſui obtuliſſet, an il-lud, obſecro, fortuitum fuit? Annon Abrahamus diuinæ id prouidētiæ tribuit, loco illi ab hac re nomen imponens, Iehoua prouidebit? Ex quo dici ſolet hodie in monte, Iehouæ pro-uidebitur.

Iacobus.
Gen. 29.

Quòd Iacobus etiam tam opportunè in Rachelem incidit ad puteum, ex quo greges loci illius adaquabantur, & in ædes Labani cit introductus, poſtquam ſe illi indicaffet: & ibi-dem vnà cum vxoribus opes non contemnen-das cōſequutus eſt, annon à diuina Prouiden-tia factum eſt? Cete illud ingens ad Ionam de-uorandum præparatum, Piſcis etiā ille in quo ſtater inuentus eſt, ad cenſum perſoluendum quem publicani in Capernaum à Chriſto &

Ionas. 2.
Matt. 17.

D. Petro exegerunt: Iactus item ille retis, quo centum quinquaginta tres piſces magni capti ſunt, nec tamē rete fiſſum eſt, quum tot eſſent, annon certiſſima ſunt diuinæ prouidentię τεκμήρια? Quòd etiam Samaritanæ illi conti-

Ioan. 21.

git

tigit ad puteum accedere, & ibi Christum of- Ioan. 4.
fendere, & hac occasione ad sui Seruatoris co-
gnitionem venire: Quod item euenit Lydia, AG. 16.
quæ in vrbe Thyatirorum purpuram vende-
bat, vt quum Philippis Paulum offendisset, &
eius doctrinam audiuiſſet, eiſque fidem adhi-
buiſſet, baptizari voluerit cum tota familia, an-
non sunt totidem diuinæ prouidentiae argu-
menta? Denique plurima istiusmodi exempla
adferri poſſent, in quibus elucet Dei prouiden-
tia, ſed pauca quæ attigimus in præſentia ſuf-
ficiunt.

Multi conqueruntur quòd impij tam diu Sexta ob
floreant & rerum potiantur, & in primis per- ictio.
ditus ille Antichriſtus Romanus, qui ſtatum Impios,
& ordinem Eccleſiæ ſus deque vertit, & qui ſed in
hodie adhuc magnos Reges, Principes & pro- primis
ceres orbis terrarum ſtimulare, ad exiguum Antichri-
Chriſti gregem penitus delendum extirpan- ſtum, ni-
dumque non deſinit: ſibiſque perſuadet Deum miu diu
vltimis hiſce temporibus Eccleſiæ ſuæ & ne- regnare.
gotiorum eius curam proſus abieciſſe, quòd
tot tantæſque populo ſuo illatas iniurias ab il-
lis ſcleratis non vlcifcatur: quod etiam Davi-
di ſuo tempore durum admodum viſum eſt
& intolerandum, vt ex hac eius querimonia
Pſal. 94. dilucidum eſt,

Vltor Deus, Deus vltor, illa flammea

Aduerte terris lumina

Dominator orbis ades, & aureo ex throno

Iſtos ſuperbos obtete.

Namq; hos quonſque, iſtos quonſque, mi Deus

R. j.

*Ridere sceleratos fines?
 Quousque verò isti proterui garrient,
 Sua iactitantes crimina?
 Hi sunt, Deus, qui deditos calcant tibi,
 Aruūque deuastant tuum.
 Hi sunt cruentant impias quorum manus
 Vidua, pupillus, aduena.
 Hi sunt scelestis qui tuum istis vocibus
 Numen laceffunt impij.
 Iste, inquierentes, nil videt Deus, nihil
 Deus hic Iacobi intelligit.*

Respons. Sed non est quodd tantopere de sceleratorum
 Scelera- pœnis solliciti sint, aut dubitent an sit illis
 tos certò scelerum merces apud Deum reposita. Nam,
 pœnas vt ait Ieremias cap. 49. hostes Ecclesiæ com-
 daturus: pellans, sic ait Iehoua, ecce, quorum nullum e-
 quod ex rat ius bibendi hoc poculum, ij omnino bi-
 plurimis bunt, tu autem ipse omnino esses impunitus?
 Psalmo- hunt, tu autem ipse omnino esses impunitus?
 rum testi Nō eris impunis, sed omnino bibes. Et Ps. 145.
 moniis
 compro
 batur.

*Hic suum numen veritos, querentes
 Compotes voti facit, et ultique,
 Impios perdens, simul & piorum
 Scilicet vltior.*

Et Psal. 146.

*Hic impiorum vltior seuerus.
 Sion beata denique,
 Rex hic tuus, tuūque numen
 Seclis idem cunctis manet.*

Et Psalm. 34.

*Observat Dominus iustos, oculisq; tuetur,
 Facilis ad illorum preces:
 Observat prauos idem, corāq; tuetur*

Ruina-

Ruiturus ipsos funditus.

Et paulò post sub finem Psalms.

*At contra quicumque bonos odere, peribunt
Scelere suomet obruti.*

Et Psalm. 9.

Iustitia apparet sic numinis illa, malorum

Que iubet artifices arte perire sua.

Debetur siquidem certa turba impia morti,

Et quicumque Dei non manet usque memor.

Et Psalm. 36.

Cerè equidè iam ià cadet improbus, ecce, ruina

Fatale tempus impiis presagio.

Et Psalm. 37.

Quales refecta falce graminis coma

Virore mortuo iacent:

Talis malorum umbratilis felicitas

Repentè tota deperit.

Et Psalm. 21.

Illos, & illorum nepotes impios

Exscinde prorsus ultimam ad propaginem.

Et Psalm. 52.

At tu miser vicissim

Dei manu peribis,

Ista nam te destruet,

Erue: que funditus.

Hic te tuo latentem

Vmbaculo reueller:

Tèque totum pessime

Subruet radicitus.

Omnes ad hæc vereri

Iustum Dei tribunal,

Hisque iustis cladibus

R. ij.

*Sic tuis illudere.
En (inquiet) scelestum
Opibus dolisque fretum,
Omne suctum spernere
Robur olim numinis.*

Et Psalm. 73.

*Hic vidi ut illos lubrico positos loco,
Deo iubente, ruina praeceps obterat.
Tum quisque mirans, vah ut isti, inquit, citò
Horribiliter obruti, atque perdit iacent?
Hos quippe cassos atque inanes abiicis,
Fugitiua qualis est imago somnij.*

Et sub Psalmi finem,

*Perire nanque oportet omnes funditus,
Qui, te relicto, falsa adorant numina.*

Et Psalm. 75.

*Ecce musto turbidum
Fœculento poculum
Iustus ipse sustinens
Porrigit mortalibus,
Improbi quod ebibant
Orbis omnes incole,
Et simul cum facibus
Omne prorsus sorbeant.*

Et Psalm. 76.

*Huius igitur vos ô cuncti rata soluite vota,
Ipsi circum colitis qui septa beati.
Terribilem hunc, inquã, donis colitore frequẽtes,
Terribilem Regum ultorẽ: procerumq; potentum
Ipsas consuetum rigidas præcidere mentes,
Falce putat qualis pendentes vinitor vnas.*

Et Psalm. 137.

Atqui

*Atqui tempus erit, Babylon, quā tu quoq³ iusta
Vltoris ira debitas pœnas dabis.*

*Tunc ô felicem qui matris ab ubere raptos
Illidet asperis puerulos cauitibus.*

Sacra Scriptura plena est exēplorū, in quibus tum quæ sint effecta comminationum diuinarum, tum iudiciorum horrendorum quibus Deus eorum qui aduersus suam Ecclesiam insurrexerunt furorem compescuit. Idcirco non sine causa Isaias de Dei Ecclesia loquens, dicebat, Gens & regnum quæ non seruient tibi peribunt: & hæ Gentes penitus desolabuntur.

Pœnæ quibus olim scelerati sūt affecti certo sūt indicio similibus eorum similes reseruari.

Age verò, quam mercedem retulit Pharao, & totius Ægypti nobiles pro dura illa seruitute & omnibus iniuriis quas populo Dei intulerant? Annon Deus in suis omnibus operibus suspiciendus, in hoc tamen maximè se admirandum præbuit, quòd omnibus penè suis rebus creatis, ad Regni illius ruinam & destructionem vsus est?

Pharao & Ægyptus.

Annon Saul qui tam crudeliter Dauidem persecutus erat, & alios Dei fideles seruos, radicitus est cum tota sua sobole extirpatus? Ommitto Ieroboamum, Achabum, Antiochum, Sennacheribum, Holofernem, Amanum, Isabelem, Athaliam, Herodem magnum, & filium eius qui Iacobum Iohannis fratrem iussit interfici: quos omnes quis non videt violenta & horrèda morte iusto Dei iudicio sublatos esse? atque adèò maximam eorum partem à vermibus & pediculis erosam in maxi-

Saul. Ieroboā cum innumeris aliis.

R. iij.



mis cruciatibus vitam abruptisse?

Cur ad
tempus
Deus im-
pios fe-
rat.

Gen. 4.
1. Pet. 4.

Minimè igitur putandum est sceleratos paratum sibi iudicium esse vnquã euasuros. Deus verò qui patiens est & tardus ad iram, partim vt patientiæ suæ magnitudinem ostendat, partim vt sceleratis omnem excusationē adimat, iudicium suum differt & ad pœnam lēto gradu progreditur: verum ad fores Dei iudicium eos expectat, vt de Caino Scriptura loquitur. Nam si Dei iudicium (vt ait D. Petrus 1. 4.) primum incipit ab Ecclesia, quis erit finis eorum qui non parent Dei Euangelio, sed aduersus illud insurgunt?

Quàm
necessa-
ria sit
Christia-
nis Proui-
dentia
diuinæ
cognitio

Hactenus igitur paucis de Dei Prouidentia pro ingenij nostri modulo quum dixerimus, quæ in omnibus naturæ operibus & paruis & magnis conspicitur: sed potissimum in Ecclesiæ gubernatione & regimine, in cuius gratiam quæcunque sunt creata sunt, & adhuc hodie conseruantur: quum etiam calumnias & obtrectiones quorundam arrogantium & impudentium hominum refutauerimus, quos non pudet Dei prouidentia in eius consiliis & operibus obloqui, superest vt paucis etiam expēdamus quàm sit cuius huius doctrinæ cognitio necessaria, vt ita tractatum istum absoluiamus. Nam ecquid erit ex quo maiorem in aduersis consolationem percipiamus, & animis nostris quies & tranquillitas, sedatis tot fluctibus quibus huc & illuc agitur, parari possit, quàm ex seria prouidentia diuinæ meditatione? Quapropter illam non immeritò cū portu

Simili.

portu maritimo comparauerimus, ad quem ^{tudines}
 nautæ post longam & periculofam nauiga- ^{ex qui-}
 tionem, multis magnisque procellis & tem- ^{bus disca-}
 pestatibus acti: saxa, scopulos rupes & tem- ^{mus sine}
 præteruecti, magnisque ex periculis elapsi, ni- ^{Dei pro}
 mirum à marinis prædonibus & piratis, tan- ^{uidentia}
 dem laboribus penè confecti, nauem feliciter ^{res hu-}
 appellant, & in eo sperata diu & optata quie- ^{manas}
 te, cum vxoribus, liberis & cōsanguineis, cum ^{stare nō}
 gaudio & ingenti lætitia fruuntur. Quid verò ^{posse.}
 nobis miseris fieret, si in his terris cuncta casu
 fortuito, nullo sedente ad gubernaculum fer-
 rentur? Quum quidam olim coram Spartano
 democratiā summis laudibus efferret, cām-
 que reliquis omnibus dominationibus ante-
 ferret, respondisse fertur illi Spartanus, Te igitur
 oporteret, si vis nobis istud persuadere,
 primum in tua familia istius dominatus formā
 instituire. Ad quod responsū quum ille al-
 ter obmutuisset, silentio suo testatus est, etiam
 in priuatis ædibus patrem familias requiri, cu-
 ius consiliis & ductu ordine omnia admini-
 strētur, & qui sit aliis autoritate superior, qui
 familiam regat, & singulis in ea pensum suum
 & munus præscribat, & exigat. Sic videmus in
 humano corpore caput cæteris membris præ-
 esse, & in eo sensus omnes residere: & ita quā
 senatores sedere, vt cum ratione deliberēt, &
 quid corpori ad eius quietem, commodum ac
 defensionem sit commodum, prouideant. Si
 igitur in rebus tam paruis, tamē ad vitandam
 confusionem, primario aliquo opus est, qui

R. iiij.

toti familiæ prouideat, & sua vigilantia atque
 autoritate singulos in officio contineat, quã-
 ro magis igitur necesse est vt in mundi totius
 adeò magni, vasti & ampli gubernatione, quo-
 ritè omnia in eo componantur, & intra vo-
 cationis suæ limites singuli contineantur, ma-
 gnus ille Prouidentia Dei oculus, qui vniuer-
 si rector est & administrator, ad tantæ familiæ
 œconomiam attentus sit?

Prima v-
 tilitas
 quam ex
 Dei pro-
 uidentia
 percipe-
 re nos
 oportet.

Hanc igitur primam vtilitatem ex diuinæ
 prouidentia doctrina & consideratione per-
 cipimus, quòd ex ea Deum agnoscere & cole-
 re discimus. Nam quum vno momento posse
 eum sciamus per immensam illam & æternam
 sapientiam suam, sine mentis vlla circumspe-
 ctione & dispicientia, rerum omnium creatu-
 rum quæ in mundo sunt statum apprehende-
 re & disponere, & cuique prout naturæ eius
 est conuenientissimum, prouidere: & præterea
 posse pro sua potentia vnā quamque earum
 non modò ad suam gloriam, sed etiam in ho-
 minis commodum flectere, conclusionem hanc
 necessariam inferimus, Deum cui seruimus, ef-
 se verum & summum Deum, omnibûsque a-
 liis qui falsò dij nuncupantur, antepōndum.
 Quod nos docet Dauid psal. 96.

Dei, nem-
 pe, vera
 cognitio.

*Fines ad orbis ultimos
 Proferte numinis decus.
 Narrare cunctis denique
 Tot mira gesta gentibus.
 Nam vere magnus hic Deus,
 Summè Deus landabilis.*

Dinof-

Divosque supra creditos
 Omnes timendus unicus.
 Idola nanque vana sunt
 Dij profani Gentium,
 At noster hic Deus potens,
 Cælum solūque condidit.
 Hunc in suo sacrario
 Cingit refulgens gloria,
 Circūstat ambiens decor,
 Roburque munit undique.
 Adeste gentes undique,
 Adeste et isti cedite
 Huic gloriam vos numini,
 Huic omne robur cedite.

Et paulò post.

Audite gentes, Deus adest,
 Quo rege firmus permanens,
 Rectis que rectus legibus
 Orbis vigeat integer.

Et psalm. 135.

Deum canite quo nil melius aut pulchrius,
 Vt Ierò Iacobum qui suum allegit sibi,
 Et Israelem ceu peculium fouet.

Et psalm. 147.

Vnus iste maximus
 Plenus vnus roboris,
 Gnarus vnus omnium.
 Iste pressos subleuat,
 Iste perdit impios.

Quum autem quàm latè pateat Dei prouiden-
 tia consideramus, quæ sine exceptione ab vno
 mundi extremo ad aliud extremum pertingit,

& in omnes creaturas quæ in eo sunt, siue parua siue magna, se extendit, vt earum omnium curam gerat, & de rebus necessariis ipsis prouideat: & cum ea Dei omnipotētiam indiuiduo nexu coniunctam, ad eas conseruandas & sustentandas, & bonitatē immensam ad eas alendas & nutriendas, & summam sapientiam ad eas disponendas, & singularum motus ordinandos: tum his veluti gradibus ad Dei Maiestatem assurgimus, quam in admirandis ipsius operibus agnoscamus & celebremus. Quo cultu & sacrificio nullū Deo gratius aut acceptabilius mortales offerunt. Quapropter etiam videmus Dauidem ad laudes Dei celebrandas inde maximæ partis psalmorum suorum argumenta & materiam desumpsisse.

Altera
utilitas
Fidem
roborat
& adau-
get.

Deinde Prouidentia diuina maximam vim habet in fiducia nostra erga Deum tum confirmanda tum etiam adaugēda. Quoties enim attentē consideramus quantam de suis rebus creatis curam gerat, etiam de minimis, vt de auiculis, quibus ipsemet alimenta parat, & de liliis agrorum, vt ea vestiāt: adde etiam de reprobis & infidelibus, super quos facit vt Sol suus exoriatur, & pluat: tandēque etiam de Diabolis ipsis, quos in suo statu & natura cōseruat, quomodo nos qui eius sumus filij, dubitaremus de eius in nos amore, metuentes ne nos in nostris difficultatibus aut abiiciat, aut nostri obliuiscatur?

Tertia
Patiētes
efficit

Præterea nihil est quo magis ad patientiam crudiantur homines in omnibus aduersis
quàm

quàm Dei Prouidentia : quum ab ea casus omnes quicunque tandē ingruant prouenire si- & bona spe im-
bi persuadent. Nam Deum, quem agnoscunt plet.
patrem, confidunt, quando quidem calamitates in suorum eruditionein & vtilitatem im-
mittit, minimè permissurum vt sub onere fatiscant, sed ipsis etiam vires illi ferendo suffecturum. Quin imò sperant etiam fore vt eorū
onera alleuet, non inhumanior futurus erga Similitu-
suos, quàm sint muliones aut veredarij in e- do.
quos suos aut mulos, quibus sub noctem onera deponunt, quæ inter diu gestauerant : & ad
quietem illis stabulum mollissimè substernūt,
& auenam affatim ad præsepe præbent. Quod
nos etiam docuit Propheta Dauid Psalm. 125.
dicens,

Nec bonos semper finit

Opprimit tyrannide,

Nec boni tandem suas

Scelere polluant manus.

Et hoc ipsum nos docet Apostolus, his ver- i Cor. 10
bis, Tentatio vos non cepit nisi humana. Fidelis autem est Deus, qui non finet vos tentari supra id quod potestis, sed præstabit vnā
cum tentatione etiam euasione vt possitis
sufferre. Et si enim nos, quoniam ipsum gra-
uiter offendimus, castigandos tyrannorum
arbitrio permittit : irascitur tamen etiam il-
lis quum immoderatiùs insultant, & suarum
correctionum mensuram excedunt. Quem-
admodum etiam apud Zachariam scriptum Zach. 1.
est, Sic ait Iehoua exercituum, Zelo prosequor

Isa. 3.

Ierofolymam & Sionem : Feruore enim maximo ferueo contra Gentes istas tranquillas: quia me efferuescente paululum, ipsæ adiutrices fuerunt in malum. Et Isaias Prophetain hanc sententiam dicit, Iehoua ad iudicium aduenit contra seniores populi sui & principes eius, at vos depauiistis hanc vineam, rapina pauperis est in domibus vestris. Quid vobis est est quod conteritis populum meum, & faciem pauperum commolitis: dictum Domini Iehouæ exercituum. Quandoquidem igitur quascunque nobis Deus castigationes immittit, semper sunt eius lenitate & clementia temperatæ: & præterea vires illis ferendis pares sufficit, tandemque etiam lætum & felicem earum exitum fore promittit: magnum sanè nobis ista diligenter considerantibus argumentum datur, omnes nostras afflictiones patienter ferendi: & in rebus aduersis nostris nomen eius non minùs quàm in lætis & prosperis celebrandi.

Quarta.
Vt memores
esse diuinorum
beneficiorum
discam⁹.

Ingratus animus vitium est inter reliqua omnia turpe & detestandum: collata enim à se beneficia in aliquem agnosci volunt omnes, immò & ab iis qui acceperunt quum se offert occasio palàm prædicari. At si vitium istud homines tantopere detestantur, annon illud coram Deo longè magis abominandum esse existimabimus, quòd quæ Deus in nos quotidie confert beneficia immensa & innumerabilia sint: Quemadmodum dicit Propheta,

*Vah! quæ & quanta Deus toto miracula mûdo
Spar-*

*Sparsisti, & quæ non, distincta hac ordine
cuncta*

*Digerere, auctoris prout illa immensa meretur
Maestas, penitus mens foris aggressa fatiscat?
Nāquanam hac lingua, quo possint dici ore?
Quas igitur tanto memorem pro munere grates?
Et Psalm. i.*

*Nam pater æthereus iustorum & fraude caritum
Novit iter, sensumque tenet, curvumque sequuta
Impietas fraudum anfractus scelerata peribit.
Quotiescumque igitur à Deo novis cumula-
mur beneficiis, toties ex animo cum Propheta
dicamus,*

Psalm. 40.

*Ergo novas nobis laudes, nova carmina dicat,
Vt mecum exultet tantorum turba bonorum
Conscia, sequæ meis sociam nunc cantibus ad-
dat,*

Hunc verita, huic uni reliquis confisa relictis. Quinta.
Doctrina de Dei providentia plurimum e. In Dei
tiam facit ad nos docendos quanto cum ti- timore
more Deum reuereri nos oporteat, quum ex nos retine-
ea cognoscamus infinita potestate ipsum esse
instructum, non solum ad suos aduersus quæ-
libet pericula protegendos, sed etiam ad sce-
leratos perdendos & radicitus extirpandos, li-
cet etiam ad summum honorum & dignita-
tum fastigium sublatis fuerint: quod in Pha-
raone, Sennacheribo, Nebucadnezare, Balsa-
zare, & Herode, & infinitis aliis est satis con-
spicuum. Deinde etiam ad nos docendos, quan-
to studio & diligetia deceat nos effugere quæ-
cunque eius iram ac furorem accendunt. Est

enim in ira sua, ignis consumens, &, vt dicit
 Heb. 10. Apostolus, Si vltro peccauerimus post acce-
 ptam cognitionem veritatis, non adhuc pro
 peccatis reliqua est hostia: sed horrenda quæ-
 dam exspectatio iudicij, & ignis feruor, qui
 deuoraturus est aduersarios.

Isa. 45. Fateor Deum eum esse qui lucem format:
 sed idem etiam tenebras creat: pacem facit, &
 malum creat. Ego, inquit Iehoua, ista omnia
 facio. Vt igitur lucis, id est, gratiæ & fauoris
 diuini capaces fiamus, nō solum nos oportet
 illum colere & diligere, sed etiā illi obtempe-
 rare & obedire. Et vt tenebras, hoc est, com-
 minationes eius & maledictiones euitemus,
 in timore coram eo ambulare, & in oculis il-
 lud Prophetæ semper habere,

Frenat vnus orbem habenis

Sempiternis: intuetur

Et pios & impios.

Nec sinit sibi rebelles

Viribus fratros superbis.

Improbis votis frui.

Et Psalm. 147.

Fortis hic equi nihil

Robur admirabile,

Fortis athlete nihil

Comparatas currere,

Curat iste tibias.

Sed sui timentibus

Iste verè prospicit,

Hic sui nudentibus

Vnius clementia,

Cuncta

Cuncta clemens sufficit.

Huic tuo, Sion, Deo

Grata laudes concine.

Quoniam autem Deus mediis quibusdam, in beneficiis suis nobis cōmunicandis utitur: ut Solis radiis, quibus mundus luce compleatur: Igne, quo calefiamus: pane & aliis frugibus, quibus alamur: ideo, licet nostri sit studiosus, & de rebus omnibus tū corpori tū animo necessariis & delectamētum adferētibus providendis ingentē curā gerat, non vult nos inter ea otio torpentes delidere, & porcorum instar nullā victus nostri aut vestitus curam habere. Vult enim nos ab illo quæ largiri decrevit beneficia postulare. Petite, inquit Christus, & dabitur vobis, quærите & inuenietis: pulsate & aperietur vobis. Et David Psalm. 50.

Deipro-
videntia
quo mo-
do rectè
vtamur.

Tum deprehensus rebus in asperis

Securus implora: auxilium feram,

Grates ut, accepta salute,

Latus agas, Dominūque laudes.

Et Psalm. 91.

Hic quum me vocet, audiam precantem,

Et presens ego liberabo pressum,

Aucturus quoque deinde liberatum:

Que vis denique sit mee salutis,

Faxo hic sentiat, approbēque salus.

Et Psalm. 34.

Prava cane, rectum sequere, & pro viribus vsq;

Pacem require sedulus.

Observat Dominus iustos, oculisque tuetur,

Facilis ad illorum preces: (Et Psalm. 105.

Inuocan-
do ipsū.

*Vos illius opem roburque requirite cuncti,
Ipsius memores operum, & quæ plurima nobis
Ostendit rerum miracula certa canentes.*

Deinde
officium
suum
quisque
in sua vo-
catione
faciēdo.

Nec verò tantùm à nobis hoc requirit vt ab eo precibus impetremus bona quæ sponte in nos erat alioqui collaturus, tam temporalia & corporea, quàm sp̃itualia, putà panem nostrum quotidianum, peccatorũ remissionem, vires ad resistendum tentationi: sed etiã labore nos illa consequi, & vt ita dicam, laboribus illa nobis vult vendere. In sudore vultus tui, inquit, panem tuum comedes. Sic David etiam Psal. 37.

*Quin corda plenus in Deum fiducia,
Seruato recti iramitem,
Vite satur futurus, & placidissimi
Potiturus aui commoda.
Vnum te oblectet numen, hinc posce omnia,
Hinc impetres vt omnia.
In hunc recumbe totus, Vnum hunc respice,
Quo spes in vno sunt rata.
Et Psalm. 128.*

*O te beatum quem Dei regit timor
Rectos per eius tramites.
Te numine propitio laboribus tuis
Innoxia pascent manus.*

Media il-
la nō ne-
gligenda
sed iis v-
tendum.

Ex quibus locis perspicuum est quàm bene conueniat Dei prouidentia cum hominum labore ac industria, atque vnā ab altera minimè tolli: Sed duo sunt hīc diligenter consideranda. Primum est, Quomodo Deus media quædam præscribat, per quæ sua nobis beneficia largi-

largitur minimè esse negligēda, sed illis vtendum, ita tamen vt semper ad Dei gloriam cum gratiarum actione referantur.

Vnde nō immeritò inferimus, magnam eos reprehensionē incurrere qui sacros cœtus, Dei nomine coactos, frequentare negligūt, & Religionis exercitia, quibus Christianorum fides alitur & augetur, cuiusmodi sunt, Verbi diuini pura & simplex prædicatio, preces, confessiones, & gratiarum actiones publicæ, Sacramenta denique Baptismi & Sacrosanctæ Cœnæ parui faciunt. Hæc enim exercitia Deus Ecclesiæ suæ præscripsit, & iis vt iussit ad finem vsque mundi, tâquam mediis, quibus in Dei cognitione & timore erudiatur, in ea adolescat, & in dies maiora faciat incrementa. Ad quæ non minùs sunt illa media necessaria, quàm oleum in lampade affundi necesse est vt lumen accensum foueatur.

Alterum illud obseruandum est, ne in istis mediis hæreamus, aut in iis fiduciam nostram collocemus, licet iis vtatur Deus, tanquam instrumentis ad salutem nostram promouendam, & virtute ac efficacia interna Sancti Spiritus apta & idonea fiant nobis commune faciendis & certioribus faciendis de participatione & communione quam cum Christo habemus, qui vnicus est nostræ salutis medium: quandoquidem illa licet sacra signa sint, res tamen creatæ sunt, in quibus fiduciam collocare prohibemur: fides enim vna est ex præcipuis adorationis partibus, quæ soli Deo debetur.

S. j.

Id non
fit à Mi-
nisterij
contem-
ptoribus

Ita me-
diis vtendum ne
abutura-
mur. sed
ab iis ad
eum ad
quem du-
cunt as-
surgendum.

Quotiescunque igitur ad Cœnam participandam accedimus, minimè est occupanda mens in elementis terrenis & corruptibilibus, pane & vino, quæ oculis aspicimus, & manutangimus, sed ab istis causis secundis & instrumentalibus est euehenda ad primæ causæ quæ in cœlo est cōtemplationem, nimirum Iesum Christum, qui vnicus est omnis nostræ iustitiæ, vitæ ac felicitatis causa & principium.

Vltima Denique, vt tandem huic tractatui coronam
vrilitas. dem imponam, quicumque vel magistratus,
Dei pro vel imperia vel potestates gerunt, pulcherri-
uidentia mum in Deo sui officij exemplū habent. Nam
medita quemadmodum Deus sua Prouidentia rerum
tionem ad omnium creaturarum curam gerit, & studiose
officium cunctis administrat necessaria: ita Reges, pa-
quicun tres familiās, ministros & pastores, ludimagi-
que in stros, Prouinciarum gubernatores oportet cū
potestate diligentia, vt monet Apost. ad Rom. 12. suis
sunt eru præesse, nō autem altum stertere: quod tamen
diuntur. facere videmus nostri seculi Papam, Cardina-
les, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Prio-
res, Monachos & Canonicos, qui sibi omnes
persuadent dignitatum quas assēcuti sunt fi-
nem hunc esse præcipuum, vt lautè viuant, vo-
luptatibus indulgeant, saginentur, & aquali-
culum pinguem benè curēt: sed in primis, ne-
qua sollicitudo dies eorum festos, deli-
cias & illicitas recreationes
interturbet.

INDEX



INDEX RERVM IN HOC DE PROVIDENTIA DEI Tractatu memorabilium.



Numerus paginam indicat.



Brahamus exemplū providentię Dei 219	& excellentis capacitatis quę in fidelibus instauratur 64
achitophel frustra in Davidem conspirat 174	Amici infideles 93
Adamus Dei benevolentię testis 190	Amicitiam hominibus formicę commendant 111
Aeris effectus pulcherrimi in hominum commodum 47. à Sole penetratur, & est admodum impetuosus quum agitur 48.	Amor Dei erga suam Ecclesiam incomprehensus 161. quod sit istius amoris fundamentū 162. eius excellentia 165. magnitudo & constātia 166
Aer pluias & rores gignit 50. Ecclesię utilis est, & imago Spiritus Dei 51	Anacharsis Philosophus cui rei ius sui seculi parat 114
Aman, frustra Iudęis necem fruit 174	Angeli testes sunt diuinę Providentię 28. 29
Anima humana excellentibus ornata facultatibus, nimirum intelligentia & voluntate 62. Memoria & admirandis motibus 63. Variis sensibus	Animalia testes sunt diuinę Providentię 67. quid eorū creatio nos doceat 67. quorum vestitus, arma & industria magis ac magis hanc providentiam arguunt 68. eorum quanta prę homine pręrogatiua 69. cur sint cō-

S. ij.

INDEX.

dita 69. quæ ex illis exē-	iustitiæ & legum huma-
pla colligamus 70. quam	narum corruptionem
eorum curam Deus &	repræsentant 113
in genere & in specie ge-	Arboribus fideles 148. &
rat 71. humaniter tractan-	magni principes repræ-
da 75. &c.	sentantur 148
Apes frugalitatem docent	Architecturam hirundines
& quomodo afflictiones	docuerunt 92
in nostram vtilitatem	Argēto verbum diuinum
conuertendæ 103. praua	repræsentatur 151
confortia & otium fuge	Arma Ecclesiæ Dei, fides,
re 104. ædificandi artem	preces, resipiscētia 240
105. hostiū Ecclesiæ sunt	Asinus stupidos & ingratos
figura 105. principum &	verbi diuini cōtemp- tores coarguit 77. Balaami
subditorum officium	frenesin compescēs Dei
quod sit docent vt mu-	solicitudinem de suis a-
tuum inter se societatem	perit, & sceleratorū bru-
colant 107	tam stupiditatem & ser-
Apostatæ à quibus repræ-	monem à Deo cui ipse
sententur 121	volet concedi 78
Apostoli à Magistro leui-	Aues quid doceant 96
ter reprehenduntur 215	Augustinus tria in coruis
Aqua humectat & nutrit	obseruat 103
terram 52. in aere ma-	Aurum repræsentat Dei
gno miraculo pendula	verbum 151
est 53. Deo est maorigera	
54. efficaciam sanguinis	B
Christi nobis in memo-	Balaamus ab asina sua
riam reducit, gratuitam	redarguitur 78
peccatorum remissionē	Benevolentia Dei erga
& regenerationem 56.	nos 186
58	Bos arguit stupidos & in-
Aper Ecclesię persecuto-	gratos 73. est Ecclesiæ
res designat 124	ministorum figura 74.
Araneus peccatum & illius	Doctrinam de Prouiden-
effecta nobis in memo-	tia diuina commendat:
riam reducit 113. Infide-	coniunctionum prohibi-
lium & hypocritarū est	tarum memoriā refri-
effigies 113. Telæ ipsius	cat, speciatim in matri-
	moniis

INDEX.

- moniis: & Messia sacri-
cium repræsentat 75.76
- C
- Canis animal fidum 81. bo-
nos & malos pastores
repræsentat 81
- Carnifices Nebucadneza-
ris igne extincti 46
- Cervus est imago fidelium
afflictorum 122. & timi-
dorum qui sunt in Eccle-
sia 123
- Cete qua absorptus est Io-
nas quàm varia doceat
137
- Charitatem hominibus
commendat formica 112
- Christus quomodo ab o-
mnibus cognoscendus 83.
aves nobis proponit in
exemplum vt Deo fidere
discamus 100. eius meri-
to Ecclesia seruatur 226.
per myrrham, rosam, li-
lium, & vitem repræsen-
tatur 142. itē per aquam,
panem, vinum, petram
150. Ecclesie seruatur &
protector est 162
- Cœli expansum, rapiditas,
color, varia vtilitas Dei
prouidentiam prædicat
31.32.33.34
- Columba candorem, sim-
plicitatem & patientiam
commendat 98
- Consortia praua damnan-
tur 104
- Conditio præsens & futura
quibus figuretur 41
- Coniunctiones illicitæ pro-
hibitæ 75
- Consiliorum Dei finis eius
gloria & salus nostra 16.
17. & deinceps.
- Consolatio fidelium, aspe-
ris temporibus 140
- Consolatio quæ percipien-
da ex eo quod hostes Ec-
clesiæ muscis comparan-
tur 109
- Contemptores verbi diui-
ni ab asinis redarguun-
tur 77
- Corui nos ad fiduciam in
Deo collocandam hor-
tantur 100. fidelium per-
secutiones in memoriâ
reuocant 101. Deus illis
vltus ad suos seruos sub-
leuandos 102. Ipse coruis
tria obseruat Aug. 103
- Corpus humanū artificio
inimitando cōstructum
65
- Corpora terræ commen-
dantur in spem resurre-
ctionis 61
- Creaturæ inanimatæ Dei
prouidentie testes 141
- D
- Dauid præsentī semper
animo fuit & alacri 177
vnde tanta illi confidētia
& tranquillitas mentis
177
- Deo charissimus 221 a suæ
passionis vi coerētus
§. iij.

INDEX.

214. exemplum diuinæ
providentiæ 211
Deus idiotis sapientem ser-
monem largitur quoties
sicei videtur 78. suā glo-
riam in Ecclesiæ conser-
uatione conspicuam fa-
cit 153. illius est fundator
156. robur eius 158. hære-
ditas, penu & alimenta
160. impensè illam amat
161. quanta sit eius cura
de ipsa 180. argumenta
quibus Dei charitas er-
ga suos electos declara-
tur 182. & deinceps. quan-
to amore suos peculia-
riter complectatur 186.
191. aduersus Satanæ ra-
biem, passionum nostra-
rum violentiam, & iustæ
suz indignationis sen-
sum protegit 188. Eccle-
siam ex afflictionibus
diuersis liberat 190. &
deinceps.

E

Ecclesia præcipuū est ob-
iectum Dei providentiæ
20. cuius status nobis tri-
bus in rebus in Luna re-
præsentatur 40. vineæ
comparatur 144. Testis
est magnificus gloriæ &
providentiæ Dei 153. eius
præstantia 155. quanta eius
gloria & felicitas ibid.
eius fundator, seruator,
protector & gubernator

156. 157. Leges habet man-
data Dei, & consiliū ver-
bum eius 157. Deus eius
est robur 158. hæreditas,
penu & alimonia 160.
quantus erga ipsam Dei
amor 161. fundamentum
huius amoris 162. eius
excellencia, magnitudo
& constantia 166. eius ho-
stes 167. pugna eius ad-
uersus Satanam 168. mun-
dū 170. pseudoecclesiam
ibid. in hostes victricem
171. cura quā de ea Deus
gerit 180. eius signa & ar-
gumenta certissima 182.
inde ab initio ad hoc vs-
que tempus conseruatur
206. triumphare de ipsa
parantibus hostibus, ere-
cta 208. in maximis pe-
riculis protecta 210. ad-
uersus rabiem hostium
defensa 210. in portū fru-
stra ringētibz hostibus
eam deduci 212. sola Dei
manu sine humanis viri-
bus ex afflictionibus li-
berari 218. varia exēpla
quibus id confirmatur
218. admiranda Dei pro-
videntia qua Ecclesia gu-
bernatur 226. subsistit
per miraculū 227. quibus
regatur gubernatoribus
228. ipsius arma 230. Fi-
dei excellencia 231. virtu-
tes 232. conseruatio 233.

gau-

INDEX.

gaudium 234
 Elementa testes sunt diuinae prouidentiae 44
 Elias peculiari Dei fauore & virtute sustentatur 205
 Epicurei quibus comparatur 120. 121. fugiendi sunt 120
 Electi Dei per plantas representati 141
 Equus quod documentum nobis praebeat 88. eius celeritati non fidendum 89
 Exempla iudiciorum Dei in calumniatores 131. rebelles & idololatrias 132. praesentiae Dei in re incerta 134. eius vindictae in pueros irrisores 135. eius prouidentiae in nutriendis suis 140. hostium Ecclesiae conatum, qui fuerunt irriti 171. 173. 174. 175. gaudij Spiritus 177. beniuolentiae Dei 186. curae peculiaris quae de suis gerit 187. fidelium aduersus suas ipsorum passiones defensionis 188
 Ecclesiae liberationis 190

F

Farina viduae multiplicata 140
 Falsi prophetae quibus comparantur 125
 Fides sunt arma Ecclesiae 230. eius praestantia 230
 Fidelis Deo confidens olivae similis 141. fidelium conditio & officium qui-

bus rebus representetur 41. ceruo comparantur 122. per arbores significantur 148
 Formica docet otium fugere 110. docet prouidentiam studium, vigilantiam & laborem 110. concordiam & amicitiam inuicem fouere 111. foeneratores condemnat 112. charitatem & misericordiam commendat ibid.

G

Galenus Deum suspicit in humani corporis structura 64
 Gloria Dei & Electorum salus, sunt consiliorum Dei finis ultimus 13
 Galina multis modis testatur diuinam prouidentiam 89
 Gulosi quibus comparantur 89
 Gallus gallinaceus potentiores docet 92. principis magnanimi imago 92. vigilantiam & laborem commendat 92

H

Homo Dei operum summum 62. eius descriptio 65 quae in eum reliquorum animantium prerogativa 69
 Hirundo architectonice homines docuit 92
 Hominum quinque millia quinque panibus & duobus piscibus cibata sunt 139

S. iijj.

INDEX.

- Hypocritæ araneo 113 & vulpibus cōparantur 128
 Ignis primū & altissimum omnium elementorum 44. ad perdendos improbos eo Deus vtitur 45. effectus S.Sp. repræsentat 46
 Iacobus Dei fauorem expetit 198
 Ionas à Cete voratus quid nos doceat 137
 Iosephus Dei fauorem expertus 200
 Iosue exemplum diuinæ prouidentię 220
 Israel in Aegypto, in deserto, in terra Chanaan singularare fuit beneuolentię diuinæ exemplum 192
 Israelitæ murmuratores cœlitus immisso igne exterminantur 45
 Iudæi frustra Paulo struunt infidias 175
 Iuris violatio cui similis 114
 L
 Labanus frustra in Iacobum meditatur impetū facere 173. Laborem commendat formica 110
 Libertini quibus similes 249
 Liliū vallium Christum repræsentat 142
 Loquacitas multis locis condemnatur 93
 Loquaces hirundines repræsentant 93
 Lupi pseudoprophetas significant 125 & Ecclesiæ persecutores 126. & vocationem maximorū peccatorum & persecutorū ad Dei cognitionem 127
 Luna cur frigida, efficacia eius & reuolutiones 39. tribus in rebus Ecclesiæ statum nobis repræsentat 40
 Leonibus vtitur Deus ad suos seruos conseruandos hostes verò perimendos 131
 Leo rugiens Satanz imago 133
 M
 Magdeburgum, exemplū prouidentię Dei 223
 Mala cur permittantur 2 Deo 235
 vtrum Mare plus iuuat quàm Gallina 90
 Mali & scelerati igne percutunt 45. à terra vorantur 61. stupiditas eorum brutata condemnatur ab ipsis brutis 73. rubis & spinis comparantur 146. cur tandiu rerum potiantur 147
 Milites Ochoziæ igne cœlitus misso sublati 45
 Ministri Ecclesiæ 44
 Misericordiam formicæ commendat 112
 Mun-

INDEX.

Mundus testis locuples providentiae Dei 21. excel-	cantem	141
lens eius structura, constantia, magnitudo & pulchritudo 22. quomodo gubernetur ab opifice. 24. quidex eius contemplatione discamus 25. 26	Oves sunt imago Ecclesiae Dei 82. ut norunt suum pastorem, sic electi Christum 83. mansuetudinis & patientiae exemplum praebent 84. teste Christo 85. & hominum in hoc mundo conditione 85. ovium multiplicatio, & exiguus numerus luporum, Dei providentiam testatur 87. mutua earum concordia quid doceat 88	
Muscae communes nobis Dei potentiam & hominum imbecillitatem ob oculos ponunt 109. corruptionem etiam a peccato in mundum invehant	P	
Mandata Dei Leges sunt Ecclesiae	Panis magna mysteria significat	150
Mare quantas utilitates & opes ferat	Pax Ecclesiae	234
Moses testis benevolentiae Dei	Passeres a Deo pendere nos docent	95
Myrrha Christum designat	Pastores boni & mali canibus comparantur	81
142	Pastores Ecclesiae administrandi	229.
Munditiam quae commendat	Patientiam Christianis commendant oves 84. & columbae	98
N	Peccatum cum eius effectis	113
Noachus testis benevolentiae Dei 191. Imago providentiae Dei	Peccata peccatis puniri	254
218	Peccata per spinas representantur	146
O	Persecutores Ecclesiae per apros significantur	124
Obiectiones variae adversus divinam providentiam cum responso adversus eas 235 & deinceps. an sit in operibus Dei contrarietas	Persecutiones Ecclesiae quibus rebus refrigerantur memoria	101
Otium fugiendum	Persecutores ecclesiae lu-	
Olivae representat fideles, in Deo fiduciam collo-		

INDEX.

pis comparantur	126	uincūt 141. rēſque etiam
Pharao frustra aduerſus Iſ-		inanimatā 150. quæ ma-
raelem inſurgit	173	gnificē demonſtratur in
Petra repræſentat Chri-		Eccleſiæ conſeruacione
ſtum	150	153. & in eius cura pecu-
Plantæ teſtes ſunt proui-		liari 186. & deinceps in
dentix Dei, & eius ele-		eius ſpeciali prouidentia
ctos nobis repræſentant		qua ſermones cogitation-
141		es &c. dirigit 188. quam
Piſces teſtes prouidentix		ex ea conſolationem o-
Dei	137	por-teat percipere 213. il-
Porcus eorum imago quo		lius effecta inſignia 214.
rum venter eſt Deus 89.		& 215. quæ potiſſimum
Apoſtatas repræſentat 121		elucet in Eccleſia libe-
Preces ſunt arma Eccleſiæ		ratione 217. & deinceps.
230.		variæ obiectiones aduer-
Princeps magnanimus qua		ſus prouidentix doctri-
re repræſentetur	92	nam cum reſpōſo ad eas.
Principes in apum guber-		251. &c. cuius prouiden-
natione admonētur quid		tix reſpectu nihil eſt for-
ſit eorum officij	71	uitum 255. quam Chri-
Prouidentix Dei ſeria me-		ſtianis neceſſaria ſit hu-
ditatio animos ſedat &		ius doctrinæ cognitio
tranquillat 3. vſque ad 9.		varius eius vſus, vt ad
eius definitio 9. cuius		veri Dei cognitionem
ſingulę partes excurtiun-		deducat, fidem noſtram
tur 10. 11. & deinceps. ad		confirmet & augeat, pa-
quas res extendatur 19.		tientia & ſpe commu-
20. quibus testimoniis		niat. & in Dei timore
comprobetur 21. & 22.		contineat.
& deinceps. cuius teſtes		Pueri irriſores, ſublati, ē
ſunt locupletiffimi ani-		medio
malia 67. quæ ad ſingula		135.
rum in genere tum in		Potentia Dei quomodo
ſpecie ſe extendit 68.		repræſentetur
69. &c. cui etiam piſces		43
dant testimonium 137. &		Pugna ſinter Eccleſiam &
plantæ quoque eandā c-		Satanam
		168
		ad Pœnitentiam quibus
		rebus inuitemur
		92
		Rupella

INDEX.

R

- Rupella exemplum pro-
uidentiæ Dei 224
Rosa campestris Christum
indicat 142
Robur Ecclesiæ 158

S

- Sacerdotes frustra conspi-
rant aduersus Apostolos
175
Sacrificium Messiæ quo-
modo representetur 76
Sapientes ab Oriente pec-
culiari Dei fauore dedu-
cuntur & conseruantur
43
Satan per Leonem indica-
tur 133. eius aduersus
Ecclesiam pugna 134
Scholastici falsi doctores
12
Stater in ore piscis inuen-
tus 138
Sobolis benedictio 142
Sodoma igne absumpta
45
Sol quid doceat sua pul-
chritudine, splendore, ca-
lore & cursu 35. Dei
constantiam adumbrat
37. & Solem iustitiæ re-
præsentat 38
Subditi admonitionem ab
apibus accipiant 107
Synagoga inimica Eccle-
siæ 170

- Spina imago scelerato-
rum, & peccata repræ-
sentat 146
Spiritus S. effectus per i-
gnem adumbrantur 46.
& per aerem 51
cur Spiritus S. cum vento
comparetur 52. in co-
lumbæ forma apparue-
rit 99
Spiritus S. est Ecclesiæ gu-
bernator 157
Stellæ notant tempora 41.
conditionem nostram
præsentem adumbrant
& futuram 42. gratiam
& potentiam Dei 43. &
ministros Ecclesiæ 44


T


- Terra licet pendula firma
est & immota 58. aquis
testa & circumdata, non
tamen obruta 59. fer-
tilis 60. & aliæ eius v-
tilitates ac documenta
61
Testium diuinæ providen-
tiæ catalogus 21. & dein-
ceps.
Timidi in Ecclesia ceruo
comparantur 123
Tyraanni quibus similes, &
quæ ipsorum natura 147.
nostro seculo extincti,
testes diuinæ providen-
tiæ 223

INDEX.

V		Vigilantia commendatur	
Ventus cur & quomodo		92	
Spiritum adumbret	52	Voluntas Dei quomodo	
Vepres sunt imago infide-		consideranda	12
lium	146	Votum sanctum Christia-	
Verbum Dei per aurum &		norum	153
argentum representa-		Vrsus Deo inseruit suis	
tur 151. Ecclesiæ est con-		exercendis iudiciis	135
filium	157	Vulpes hypocritas refert	
Vindicta diuina vnde pro-		128. earum latebræ accu-	
cedat	152	sant Christo suum o-	
Vinea Ecclesiæ figura	144	stium occudentes	129.
Vinum magna mysteria		imaginem occultorum	
repræsentat	150	Ecclesiæ hostium præ-	
Virtus neglecta cur iaceat		fert	130
243		Z	
Vitam actiuam qui com-		Zachæus auaritiæ renun-	
mendent	92	tia	215

FINIS.





ALVENSLEBEN

Ba

145





TRACTATVS
DE PROVI-
DENTIA DEI AD
FIDELIVM CON-
scientias asperis tem-

p

x-rite

colorchecker CLASSIC

AD H
Gallia

Auctor

Ap

C

